IO. ANTONII VIPERANI ... DE VIRTUTE LIBRI 4. ..

Giovanni Antonio Viperano

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
17 N
29

L
I
28

10 F 26

IO. ANTONII VIPERANI MESSANENSIS

EPISCOPI IVVENATIENSIVM

DE VIRTVTE

LIBRI IIII.

AD SERENISS. PHILIPPVM HISPANIARVM PRINCIPEM, REGIS CATHOLICI PHILIPPI II. F.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



~~Collo~~ ~~Romini~~
C. Romy S. Pantaleonis
Scholarum Piarum

NEAPOLI.
In Ædibus Ioſephi Cacchij, M. D. XCII.
Permiſſu Superiorum.

Ex haered. Fran.ci de Rubeis

12 17 N 29

SERENISSIMO PHILIPPO

HISPANIARVM PRINCIPI, REGIS CATHOLICI PHILIPPI II. F.

IO. ANTONIVS VIPERANVS Epiſcopus Iuuenatienſium.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAGNA Sereniſsime PHILIPPE virtutis vis eſt, magna laus; quæ ad primam & optimam affectionem animi nos perducit, atq; æternis mentibus quàm ſimilimos facit. Nam cunctas animæ partes ritè componens, ad rectè intelligendum, & benè agendum nos pariter informat: ad quæ natum eſſe hominem quaſi mortalem quendam Deum, ſicut ad currendum equum, ad arandum bouem, ad indagandum canem philoſophorum princeps Ariſtoteles ſcribit. Et quidem ad cernendam ve-

ritatem mentis aciem exercet, atq; ad comparandam felicitatem motus animi componit. Quòd ſi, licet multis alijs rebus, tamen ratione cæteris animantibus maximè excellimus, certè virtus, quæ rationis & intelligentiæ perfectio eſt, maximam partem in rebus humanis meritò & iurè obtinebit. Nec verò nos ſolùm à victu beſtiarum, cultuq; ſecernit, verùm etiam à vulgarium hominum commercio, numeroq; ſeiungit. Ac profectò ſi ſapientis ſtudia cum inſipientis cogitationibus, & probi viri mores cum improbi hominis vita conferamus, virtutis vim atq; naturam facilè cognoſcemus. Etenim mens illius falſis opinionibus in multiplices, ac ſummos errores arripitur; huius intelligentia in magnarum, & præclariſsimarum rerum contemplatione verſatur: atq; ille ſecum ipſe diſſentiens, turbidiſq; animi motibus, tanquam furijs agitatus, nullam vnquam quietis & tranquillitatis partem capit, ſibi maleuolus, & maleficus hoſtis; hic ſedatis perturbationum fluctibus, tranquillatoq; animo ſecum eſt, ſecumq; (vt dici ſolet) viuit, & humana omnia ſubter ſe habens cælitum vitam agit. Tantus igitur cùm ſit ſplendor, vtilitaſq;

litaſq; virtutis, quantanam erit philoſophiæ commendatio, quæ quid expetendum, quid contrà fugiendum in vita ſit docet? Ipſa eſt magiſtra vitæ, præceptrix officiorum, mater omnium benefactorum, atq; dictorum, verè donum, inuentumq; diuinum. quandoquidem à Deo nobis ratio ſingulari quodam munere data, ac cæleſti beneficio perfecta & abſoluta eſt. Hinc apud Græcos Socrates philoſophiam è cælo in terras euocaſſe traditur; quia philoſophorum omnium primus de vita & moribus diſſeruit. quam deinde Plato diſcipulus Socratis multis, ac varijs diſputationibus expoliuit. poſtremò Ariſtoteles Platonis auditor, tradendis doctrinis mirus, & præſtantiſsimus artifex, certis rationibus præceptiſq; formauit. Apud Latinos verò M. Tullius Cicero philoſophiam primus excolere cœpit: quem Seneca non æquè concinnus ſcriptor ſequutus eſt. Multos quoq; poſt annos Ariſtotelis interpretes doctè magis, quàm eleganter Ethicen explicuerunt. Nos etiam plurimum ſtudij in ea pertractanda poſuimus, non minutis, & ſpinoſis quæſtionibus, ſed tracta, & aperta vſi oratione, credentes noſtram hanc operam

ſinè

ſinè vlla inuidia nonnullorum ſtudijs profuturam. Nec ſolùm moralem, ſed omnem etiã virtutem explicuimus, vt vniuerſam humani animi perfectionem oſtenderemus. Hos de virtute libros Sereniſſime PHILIPPE vt tuo nomini dicarem, multa me commonuerunt; ſed inprimis tua inſignis, & diuina indoles, quæ ingentem maximorum fructuum ſapientiſſimi & perfectiſſimi viri ſpem in omnium animis ingenerauit. Vnde cùm te intueor, mihi videor patris tui PHILIPPI regum omnium quotquot ſunt potentiſſimi et optimi præclariſſimam imaginem intueri. Proinde ſummis precibus Deum immortalem oro, vt qui ſecunda vitæ tuæ principia fecit, ſecundiores exitus efficiat. ſimulq; opto, vt hi libri apud Altitudinem tuam locum aliquem exiſtimationis, & authoritatis inueniant, vt deinde non vulgarem apud alios commendationem conſequantur.

IO. ANTONII VIPERANI DE VIRTVTE LIBER PRIMVS.

Quid eſt Virtus. CAP. I.

QVI noſcit ſe ipſum, hoc eſt, perfectionem, & abſolutionem ſuæ naturæ, is ſcit quid cogitare, quid agere in vita debeat. Vocatur autem noſtræ naturæ perfectio virtus. ſic enim virtus à Cicerone finitur hominis in ſe perfecta, *De Leg. I.* & ad ſummũ perducta natura. Cuiuſq; rei naturam maximè formam eſſe putamus: quæ rem quamq; certo in genere collocat, propriaq́; vi & poteſtate inſtruens ſeiungit ab alijs. Atqui ſumma omnis in homine eſt animi, & rationis: quæ nos homines facit, atq; à cæteris animantibus ſegregat. Quare humani animi perfectio, rationiſq́; abſolutio ipſa eſt hominis virtus. Nec verò virtus eſt perfectio eſſentiæ animæ. ſic enim aliam originem animæ, naturamq́; induceret, ac differentes ſpecie homines faceret: ſi quidem eſſentiales perfectiones formas differentes conſtituunt. Sed omnium animarum tam bonorum, quàm malorũ hominum eadem eſt natura, ſiue eſſentia: quæ nec magis, nec minus (vt docent philoſophi) recipit. Itaq; ſtudioſi hominis anima non eſt magis anima, quàm mali: ſed vtraq; pariter eſt forma eſſentia-

ſentialis, &, vt græcè loquar, ἐντελέχεια. Verùm virtus eſt perfectio potẽtiarum animæ: quæ potentiæ qualitates quædam ſunt, nempe animæ ad agendum, ferendumq; aliquid vires: quas quidem virtus aptè componit, & perficit, hoc eſt, ad laudabiles actiones inſtituit. Et quia cunctas animæ vires, ſiue potentias rectè, prout ſtatuit natura, componit, benè etiam virtus finitur recta animi compoſitio. Hac boni à malis diſtinguuntur; ſuntq; vita, moribuſq; diſſimiles. Sed quæ, qualeſq; ſint animæ potentiæ, quæ virtute perficiuntur (neq; enim omnes virtutis capaces ſunt) infrà dicemus. Dicitur porrò virtus recta, quòd ad conuenientem naturæ finem animæ vires informet, & dirigat. Atq; etiam modò ſanitas animi, modò pulchritudo vocatur; quòd ſit conſtans, & laudabilis virium animi compoſitio. Nam & ſanitas, & pulchritudo vtraq; eſt apta quædam compoſitio, illa corporis qualitatum, quos humores medici appellant, iſta membrorum. Atq; vt ſanum eſt corpus, cuius integri & incorrupti ſunt ſenſus; ſic benè valens eſt animus, cuius vires ſecundùm rationem conſtantes, & incolumes ſunt. Quod autem corpus eſt ſanum, idem quoq; eſt firmum, & validum. Vnde nonnulli virtutem ex ſimilitudine robur animi nuncuparunt. Pulchritudo verò ex apta partium inter ſe iunctione conſurgit: & animi vires inter ſe benè affectæ, ita vt inferior ſuperiori obtemperet, neq; illarum vlla à ſuo ſtatu & conditione diſſentiat, admirabilem pulchritudinem efficiunt. His ergo nominibus, ſed diuerſis rationibus virtutem cum Platone vocamus perfectionem, ſiue aptam compoſitionem, rectitudinem, ſanitatem, robur, & pulchritudinem; contrà, vitium, κακία græcè, quod è regione virtuti opponitur, imperfectionem, prauitatem, morbum, imbecillitatem, atq; deformitatem. Eſt enim vitium *Tuſcul.4.* (vt Cicero definit) habitus, vel affectio animi tota vita inconſtans. Malitia verò non generis nomen, ſed cuiuſdam

vitij

vitij nota eſt. Cæterùm qualis ſit virtus non obſcurè ex illorum vita perſpicitur, qui nullam virtutem habent. nam innumeris erroribus ducuntur, & turbidis animorum motibus exagitantur. contrà ſtudioſi viri mens rerum magnarum cognitione alitur, & in optimarum actione verſatur, tenens in vita modum & opinione,& honeſtate laudabilē. Itaq; propter ingentes fructus, quos affert, virtus à latinis etiam eſt appellata frugalitas, à fruge dicta, qua nihil melius è terra. quanquam hoc nomen deinde tanquam proprium ſibi temperantia vendicauit.

Quòd Virtus ſit bonum honeſtum, & honorabile. Cap. II.

QVòd ſi virtus eſt animi perfectio, erit certè animi bonum. Nam perfectum, & bonum licet voce differant, re tamen conueniunt. ſiquidem bonum omnes finiunt eſſe id, quòd à quoq; expetitur:in quo ratio finis intelligitur; quæ cuiuſq; rei perfectionem deſignat. Tunc enim abſoluta res eſt, atq; perfecta, cùm perducta ad extremum eſt. Proinde græci,quod nos perfectum,ipſi à fine τελικὸν appellant. Sed quale bonum ſit inſpiciamus. Ariſtoteles duobus modis bonum tum in honeſtum, vtile, & delectabile; tum in honorabile, & laudabile diuidit. Honeſtum aio,quod honore dignum cenſetur. Huiuſmodi eſt quicquid excellit. Itaq; honeſtatem quidam honoris ſtatum interpretantur. qui honos iure mentis præſtantiæ debetur.Quod autem venerationem habet veram, id ſui, non alterius gratia petitur. Propter ſe igitur honeſtum expetibile eſt. Sed vtile alterius gratia quæritur,græcè συμφέρον,latinè haud ineptè commodum appellaueris. Cùm igitur propter aliud, non propter ſe expetatur,non per ſe bonum, ſed ob aliud eſt. Nec rem vllam

Eth. 1. cap. 8.

Eth. 1. cap. 12.

conduci-bile.

propriè, ac verè vtilem exiſtimare licet,quæ honeſtati repugnat; quoniam aliena eſt à fine, ab ea re inquam, quæ ad hominis excellentiam facit. Itaq; Cicero nihil vtile inquit eſſe, quod non ſit honeſtum. Delectabile verò eſt, quod iucundum & ſuaue eſt, aut ſenſum, aut animum dulciter mouens. Et quidem latiùs manat ſignificatio delectabilis, quàm vtilis, aut honeſti. quoniam quod honeſtum, & vtile eſt,quodam modo etiam delectabile eſt: non autem contrà, quod delectabile, item vtile, aut honeſtum ſemper eſt. Nam quandoq; nos aliquid delectat, quod neq; vtile,neq; honeſtum dixeris. Quare iſta genera bonorum ſola inter ſe differunt ratione. Iam virtus, quia veram, & ſolidam in ſeipſa dignitatem habet,ac vi ſua expetitur,nempe in cuius poſſeſſione humana felicitas locatur, honeſtum bonum eſt, omni reuerentia & honore afficiendum. Sola enim ratione homo cæteris animantibus potiſſimum excellit. Rationis autē perfectio ipſa eſt virtus. Et quia quod honeſtū eſt, decorum & pulchrum eſt, cuius nimirum partes omnes inter ſe ritè conſentiunt,virtutis forma eximia,& pulcherrima eſt,omnes ad ſe pertrahens vi ſua. Itaq; virtus, quia honeſta, & decora eſt, ac ſua forma, & dignitate placet, eſt etiã delectabile bonum. At verò bonum laudabile tantùm laude,honorabile etiam honore ſuum poſſeſſorem dignum facit. Proinde quod vtile eſt, quoniam refertur ad aliud, tantummodò laudamus: atq; eatenus laudamus,quatenus honeſti aliquam ſimilitudinem gerit. honeſtum verò,quod vi ſua bonum eſt, etiam obſeruamus & colimus. quod quidem per ſe bonum etiam ſi à nullo laudetur, tamen quia ex
Rhet. 1. ſe bonum eſt, vi ſua laudabile eſt. Vnde Ariſtoteles honeſtum inquit eſſe per ſe laudabile; quia per ſe expetendum eſt. Ergo virtus, quæ per ſe ipſa expetitur, eſt bonum honeſtum, honorabile, atq; laudabile. Tum ſi ab honore gloria gignitur (ſiquidem in aliorum oculis clarus eſt, qui in ho-

in honore, & laude verſatur) virtus, quæ honeſta, & honorifica, eadem quoq; glorioſa eſt; & quæ à virtute proficiſcuntur, honeſta, recta, pulchra, laudabilia, honorifica, & vi ſua expetenda bona ſunt: contrà, quæ à vitio, vnde vituperationem dictam volunt, turpia, praua, deformia, reprehenſibilia, vituperabilia, & omnino reijcienda mala ſunt.

Vnde Virtus dicta ſit; & ad quæ eius ſignificatio deriuetur. CAP III.

DIcta eſt autem virtus, Cicerone teſte, ex viro: vir autem à ui. Itaq; virtutis vox apud latinos primùm fortitudinē ſignificauit: deinde in reliquas animi laudabiles affectiones deriuata eſt; & quod vnius erat, factum eſt commune vocabulum. Omnem verò virtutem Romanos idcirco appellaſſe fortitudinē ſcribit Plutarchus, quòd remp. bellicis potiſſimè ſtudijs auxiſſent. Ac licet omnis bonus, & perfectus habitus tā mentis, quàm appetitus virtus nominetur, tamen morum virtuti propter eius rectum vſum hoc nomen tanquam proprium omnium conſenſu datum eſt. Ars enim, & ſcientia, & reliquæ virtutes mentis vel in improbo homine eſſe poſſunt; moralis verò non poteſt. Quare vſu à ſcientia, & arte diſtinguitur. Atq; etiam omnis animi vis naturalis, quam græci δύναμιν, noſtri philoſophi potentiam vocant, etiam virtutis notata nomine eſt. Et quamuis Cicero malit virtutis, quàm potentiæ nomine vti, ipſe tamen de virtute loquens, hoc eſt, hominis perfectione, haud equidem potentiæ nomen aſpernabor: vt res natura diſtinctas verbis etiam ſecernam. Nec ſolùm vim animi naturalem, ſed omnem quoq; facultatem, & quamuis præſtantiam tam agendi, quàm dicendi, tam rationis, quàm orationis, nec acquiſitam modò,

Tuſc. 2.

In vita M. Coriolani.

De Fin. 1.

ſed etiam ingenitam cōſueuimus appellare virtutem. Cùm vero equi, aut arboris virtutem dicimus, Ciceronis ſententia, ipſo verbo abutimur: vt eius propria ſit virtus, cuius propria eſt ratio.

De Leg.

De Anima CAP. IIII.

SEd quid animus ſit, quotq; eius partes breuiter explicandum arbitror, vt virtutis naturam, & genera percipiamus: quam nimirum conſtantem, & laudabilem habitum animi eſſe diximus. Nec me latet quoſdam animæ, & animi voces ſententijs inter ſe diſtinguere; atq; animæ viuendi, ſentiendi, intelligendiq́; principium, animo verò dumtaxat vim eam ſubijcere, qua ſapimus & intelligimus: illam eſſe, quam græci ψυχήν; hunc, quem ijdem νοῦν vocant. tamen nobis, ſi promiſcuè vtraq; voce in eadem re interdum vtemur, vitio dandum non erit; cùm doctiſſimi ſcriptores iſtas notiones his verbis ſæpe confundant. Neque etiam me fugit eius philoſophi, qui rerum naturas perſcrutatur, munus eſſe de anima diſputare, qua ratione corpus animat, & format: nihilominus iſtarum rerum cognitio etiam morali philoſopho neceſſaria eſt ad cognoſcēdas virtutes, quæ ſunt animi affectiones. Nil verò in controuerſiam adducemus, ſed à præſtantiſſimis philoſophis tantùm ea mutuabimur, quæ nobis fore vſui ſentiemus, ſinè vlla diſceptatione firma, & rata, pariterq́; noſtræ religioni conſentanea. Primùm omnium autem conſtat inter corporeas, & naturales formas animam præſtantiſſimam eſſe; cùm animata ſint inaminis genere nobiliora. Et quoniam naturalis eſt animæ cum corpore coniunctio; nam anima cum corpore primùm eſſe cœpit, & corpus ab anima moueri; non vtiq; ſinè corpore illam finiemus. Eſt igitur anima eſſentialis forma corporis eius, quod natura aptum eſt ex ſe ipſo moue-

moueri. Neq; enim anima cuiuis corpori coniungitur,ſed ei, quod à natura eſt aptum vitam recipere. Hoc græci ὀργανικὸν vocant. Quarè non artificioſum, ſed naturale, & organicum, atq; ad vitæ functiones idoneum oportet eſſe corpus, quocum anima ſociatur. At verò ex ſe ſua ſponte moueri, hoc eſt viuere; nec alienus impulſus, ſed interior motio eſt vita. Vitæ quidem munia ſunt quæuis animæ opera: ſed quæ prima, & omnium animam habentium communia ſunt, vitæ nomen in primis arripuerunt, nutriri, augeſcere, generari. Primum fit ex alimenti in propriam viuentis naturam conuerſione; alterum ex conuerſi alimenti ad certam viuentis magnitudinem acceſſione; tertium ex fœtus conceptione, præbente ſemen proliſq; materiam eo, quod in vita eſt. Quod quia tandem aliquando labefactatur, & interit (omnis enim coagmentatio corporis ad diſſolutionem vi ſua compellitur) ex ſui nutrimento ſibi ſimile progignit; vt his intereuntibus indiuiduis, aliorum noua procreatione ſpecies ſemper vſque ſeruetur. Ac nutriendi,& accreſcēdi vires per omnes corporis partes manant; generandi verò vis certam corporis partem occupat. Quæ vitæ munia quoniam ab interiore motu ſunt, viuere (vt antè dixi) eſt ex ſe ipſo moueri. Ex quo perſpicuum fit animam, cùm vitalis vitæ fons ſit, & origo, non aſcitam, ſed innatam formam eſſe viuentis.

De Anima, animatorumq; Generibus.

Cap. v.

VErùm vt ex vnius differētibus actionibus eiuſdem plures vires, ſic ex diuerſorum animatorum diſſimilibus operibus varias formas, animasq; conijcimus. Atq; vt ex vitæ muneribus animam, qua viuimus & vige-

& vigemus;ſic ex ſenſuum officijs animam, qua ſentimus;& ex mentis agitationibus illam agnouimus,qua intelligimus & ſapimus. Cumq; de uita ſuprà dictum ſit, nunc dicamus *De Anima 2.* de ſenſu. Sentire inquit Ariſtoteles eſt pati quoddam;quia pars illa corporis,in qua ſenſus inhæret, ab eo, quod ſenſum mouet,aliquo modo afficitur. Nec ſenſus eſt una ſignificatio. nam quandoq; vim ſentiendi;quandoq; ipſum ſentire, quam ſenſationem quidam appellant; quandoq; certam corporis partem deſignat, in qua ſenſus,uelut in ſua ſede conſidet :quod vulgò ſenſorium nuncupatur. Nec quoduis corpus eſt capax ſenſus, ſed id, quod apta quadam temperatione compactum eſt.Qua temperatione quoniam plantæ carent, licet caloris, frigoris, humoris, ſiccitatis, quæ principes qualitates ſunt, appulſus,ictuſue percipiant, non tamen ſentire dicuntur.Eſtq; ſenſus animalis proprius: quod ideo animal eſt,quia ſenſu præditum eſt.Senſus quinque numero ſunt tactus, guſtus, odoratus, auditus, aſpe- *Lib. 3.* ctus: nec eſſe plures Ariſtoteles in libris de Anima probat. Aſpectus in oculo, uel pupilla inſidet; Auditus membrana clauditur, quæ in aure conſita eſt, græcè μήνιγξ; Odoratus duabus carunculis continetur concludentibus duo canalia progredientia à cerebro ad oſſa narium, quæ ſecundũ oculorum concauitatem ſunt;Guſtatus linguæ cuſpidem & palatum incolit; Tactus æqualiter per totam carnem, & neruos diffunditur.Tum quiſq; ſenſus certas res tanquam proprias & ſuas capit, aſpectus colores, auditus ſonos, odoratus odores, guſtus ſapores, tactus præter illas principes qualitates quatuor, quas modò recenſui, etiam dura,mollia, grauia, & leuia. Animalium aliqua cũ tactu, qui unus omnibus animantibus ad vitæ uſum neceſſarius eſt, ſolum guſtum habent;qui guſtus à tactu nunquam ſeparatur,cùm guſtatus quædam ſit tactio;aliqua omnibus ſenſibus instructa ſunt. ac quibus uel auditum, uel aſpectum, uel odora-

tionem

tionem natura tribuit, iiſdem guſtum, & tactum dedit. Ac perfecta porrò ſunt ea, quæ ſunt omnes ſenſus adepta; imperfecta verò, & quodam modo manca, quæ aliquo ſenſu vacant. Præter hos quinq; ſenſus vulgò dictos exteriores, quoniam aperti ſunt, atq; à re, quæ foris eſt, excitantur, ſunt ſenſus communis, phantaſia, & memoria, interiores appellati, quia ſedes occultas, & in cerebro reconditas habent. Senſus communis nomen inde eſt, non quia ſub illo tanquam ſub aliquo genere cæteri ſenſus locentur, ſed quia ipſe cum alijs ſenſibus ea, quæ cuiq; ſenſui obijciuntur, comprehendit; & perceptarum rerum differentias conſpicit, illaſq; inter ſe confert, ac ſingularum naturas aduertit. Nec quidem ſenſui communi res aliæ, quàm quæ cæteris ſenſibus, offeruntur. Eiuſq; ſedes eſt prima cerebri pars. Poſt hunc phantaſia in medio cerebri gremio ſedet. Phantaſia græcum nomen eſt; quam nonnulli imaginationem, ſed qui latiniores videri volunt, imaginationis vocem reſpuentes, cogitationem dicunt, Cicero viſum. *In Academ.* Eſt autem phantaſiæ munus rerum, quæ à proprio, & communi ſenſu comprehenduntur, imagines, ſeu viſa, græcè φαντάσματα recipere, atq; ipſas inter ſe conferre. Differtq; hoc potiſſimè à ſenſu communi, quòd ille dumtaxat res præſentes percipit, iſta rerum etiam abſentium formatas figuras inſpicit, ac velut acer exiſtimator ſuo quamq; momento ponderat. Et quamuis aliqui extrinſecus irrumpentes in animum imagines tardiùs capiant, cognoſcant de illis celeriùs; contrà, aliqui tardiùs de illis cognoſcant, arripiant celeriùs; tamen vt eadem intelligentia de rebus, quas concipit, iudicat, & vim cuiuſq; perpendit, ſic ad vnam, eandemq; phantaſiam par eſt cogitationem, exiſtimationemq; referre. Extremam cerebri partem obtinet memoria, cui rerum ſpecies phantaſia retinendas conſeruandaſq, commendat. Ideoq; & theſauro, quia

quia rerum ſpecies aſſeruat; & ceræ aſſimilatur, quippe in qua rerum imagines, ſicut in cera notæ imprimuntur. Nec interiores ſenſus vllam omnino rem accipiunt, quam exteriores non obtulerint: ſed quam illi quamuis ſinè materia, non tamen ſolutam à conditionibus materiæ, ipſi etiam ſecreta materia percipiunt, etſi certo loco, ac magnitudine definitam. Sic corporis cuiuſdam, & loci terminis deſcripta viſa nobis occurrunt. Sunt autem interiores ſenſus animanti dati à natura, vt ipſorum miniſterio promptiùs, & commodiùs opera ſua exequatur. Et beſtijs quidem ad ciendas appetitiones, quibus commotæ ad tuendam vitam res neceſſarias inquirant; vnde Plutarchus phantaſiam ducem appetitionum vocauit; hominibus verò non ſolùm ad agendum, ſed etiam ad contemplandum dati, vt doctrinarum materiam, atq; argumenta miniſtrent. Ideoq; ſenſus hominis plurium rerum auidiores, & capaciores ſunt, quàm beſtiarum. At intelligens anima hominis propria eſt. Facit autem aliud animæ genus à ſentiente diſiunctum, quia & natura, & actionum conditione longè diſtat à ſentiente. Verùm aliorum animantium animæ propter differentes quaſdam proprietates diuerſas quidem ſpecies, non autem varia genera efficiunt: quoniam illarum opera nihilo præſtantiora ſunt his, quæ fiunt à ſentiente. Intereà ſciendum eſt in vno animato corpore dumtaxat vnam animam ineſſe; & quaſi figuras mathematicas animarum formas ſeſe conſequi. Nam vt priores figuræ in poſt ſequentibus non re, ſed virtute inſunt, velut trigonum in tetragono, & hoc in pentagono; ſic in quo anima rationis capax, in eodem ſenſus, & vita; & in quo ſenſus, in eodem eſt uita: non contrà; ſed nobilior anima inferioris facultates, & uires continet. Omnes autem animæ hoc inter ſe conueniunt, quòd omnes ſunt corporis formæ, & rem vnius generis cum ipſo componunt: ſed quibuſdam officijs diſcernuntur.

In Vita M. Coriolani.

tur. Nam vigẽs; & ſentiens anima omnes vires ſuas communes habent cum corpore: quæ verò compos eſt rationis, atq; conſilij, non omnes facultates ſuas corpori communicat, ſed aliquas ſibi reſeruat, nimirum intelligentiam, & voluntatem; quæ cum corpore nullo vinculo connectuntur. Sed cùm tria ſint animarum genera, ſunt tamen animatorum quatuor, accepta non ex operum differentijs, ſed ex ipſorum animatorum varietate. Primum eſt eorum, quæ tantummodò vigent, vt ea, quæ ſtirpibus continentur: alterum eorum, quæ vigent ſimul, ac ſentiunt, vt beſtiæ: tertium eorum, quæ præterquàm quòd vigent, & ſentiunt, etiam loco mouentur, vel nando, vt piſces; vel volando, vt aues; vel ſerpendo, vt angues; vel gradiendo, vt ea, quæ pedes habent: poſtremum, atq; omnium præclariſſimum eſt eorum, quæ etiam ratione, & conſilio vtuntur. Idcirco autem motu locali, tanquam certo quodam genere animalia diſtinguuntur, quia eorum quædam eidem loco fixa non mouentur, vt conchæ: non tamen fit aliud animæ genus, quia motus non eſt vllo ſenſus officio præſtantior.

De Potentijs Animæ. CAP. VI.

CVm verò vnius animæ diuerſa opera conſpicimus, fateri cogimur vnius animæ plures eſſe potentias. Eſt autem potentia quicpiam agendi, ferendiq; vis animæ. atq; vt in vnius pomi natura multa ineſſe contingit, ratione differentia, ſic nihil obſtat, quin vna anima plures vires, ſiue potentias rationibus inter ſe diuerſas obtineat. Potentiæ pro diuerſis vitæ muneribus variæ ſunt, atq; multiplices. vitam dico non ſolùm vigorem, ſed animæ cuiuſuis muneris functionem. Sunt autem vitæ munera præcipuè vigere, ſentire, appetere, loco moueri, & intel-

ligere.totidem igitur animæ potentiæ . quanquàm nonnulli, quia ſenſum, & intelligentiam ad vnum cognitionis genus referunt, quatuor vitæ officia, potentiaſq; conſtituunt. Sed & appetitum eum intellige, quem vel ſenſus, vel ratio ciet. Nam plantarum appetitus ex iſto potentiarum numero ſecluditur, quia ſolùm naturali quodam motu cientur:quo etiam elementa, & inanimæ res impelluntur. Itaq; animantis appetitus, cuius motus à cognitione aliqua factus differt à naturali, vnum potentiæ genus effecit. Nec memoriam, quæ conceptas rerum ſpecies aſſeruat, quoniam præter hoc ipſum nihil aliud agit, in potentiarum numero philoſophi habent: qui dumtaxat illas dici potentias volunt, quæ agendi, ferendiue vim habent, ad certa quædam opera comparatæ à natura. Iam potentiæ, quarum compos eſt corpus, læſo corpore, ipſæ etiam lædundur, & ſoluto ſoluuntur : at quas anima corpori non communicauit, etiam poſt corporis diſſolutionem manent, vt intelligentia, & voluntas. At uerò animæ vigentis, & ſentientis potentiæ, quibus quæq; corporis partibus locatæ ſint, ſuprà demonſtrauimus . nunc eius potentiæ, per quam localis motus fit, docenda ſedes eſt. Equidem vis eius proximè ab anima fluit: quæ primùm neruos agitat; deindè neruis tanquam machinis corpus huc, & illuc verſat. Cæterùm illæ potentiæ præſtantiores ſunt, quarum opera magis inſignia ſunt. Vnde, quæ nos diuinis mentibus ſimiliores facit, intelligentia omnibus antecellit; & ſenſus, quo multa cognoſcimus, præſtat vitæ. Ac vita ob ſenſum eſt; & ſenſus eſt intelligentiæ miniſter. Ex quo vita ratione originis prior eſt ſenſu; & ſenſus mente. Tum potentiarum aliæ rem obiectam ipſæ afficiunt, vt ea, quæ alimentum cõmutat, & quæ ſobolẽ propagat: aliæ ab obiecta re afficiuntur, vt ſenſus, & appetitus; quem boni ſpecies mouet. Intereà nonnullæ potentiæ vocantur naturales, quæ ſolo natu-

naturæ inſtinctu aguntur; quæq́; ,vt natura ſemper eſt eadem, ſic ipſæ quoq; ſemper ſui ſimiles ſunt: nonnullæ liberæ ſunt, ac ſui iuris; quæ nimirum ſunt rationis capaces, vt voluntas: quæ quia ratione ducitur, ob id ſuarum actionum principium in ſe ipſa poſitum habet. Hinc eſt quòd habitu aliquo eget, quo actiones ſuas, quæ à principio ad nullam formatæ ſunt rationem, rectè inſtituat. Quando autem anima è multis potentijs, tanquam quoddam totum è multis partibus conſtat, non abs re philoſophi potentias animæ etiam partes nominant,& animam totum: non quale eſt id, quod forma, & materia cōſtat;neq; quod è membris componitur; ſed quod plures virtutes,potentiaſue complectitur. Ac doctè Ariſtoteles in libris de Anima multis argumentis oſtendit abſurdum eſſe in vno animato corpore plures animas ponere: ſed vnam in vno; & vnius varias multipliceſq́; potentias eſſe ad diuerſa pro naturæ ſuæ modo, & ratione opera idoneas probat contra Pythagoram & Platonem: qui tres in homine animas certis corporis partibus diſcretas, intelligentem in cerebro, ſentientem in corde, vigentem in epate poſuerunt. quanquàm defenſores Platonis negant hanc mentem fuiſſe Platonis: quem aiunt libro quarto de Iuſto aſſerere vnam eſſe hominis animam; eiuſq́; tres vires vigendi, ſentiendi, intelligendi ſola proprietate diſtinctas.

De Anima hominis. CAP. VII.

SEd de anima hominis dicendum planiùs eſt: quæ omnium eſt præſtantiſſima, ſola capax virtutis, eadem viuendi,ſentiendi, intelligendi principium: alioquin ſi horum munerum plura eſſent principia,eſſent in vno ho-

mine plures animæ re ipſa diſtinctæ, plures vnius rei formæ. quo quid dici, aut cogitari poteſt abſurdius? Eſt porrò anima hominis inter corporeas formas, & celeſtes intelligentias media, particeps vtrarumq; : ſicq; eſt intelligens, vt ad ſentiendum quoq; ſit apta; & ſic eſt ſentiens, vt ſimul quoq; ſapiat & intelligat. Cui cum diuinis mentibus hoc commune eſt, quo à formis corporeis diſtat, quòd ſinè corpore per ſe ipſa poteſt exiſtere. quanquàm ſemper ad coniunctionem corporis vt pote forma phyſica naturalem propenſionem retinet. cum formis corporeis hoc eſt commune, quo à diuinis differt, quòd habet cum corpore ſocietatem. ob idq; ſimqlex æque non eſt, vt cæleſtis intelligentia, quæ ab omni cognatione, & neceſſitudine corporis abhorret. eſt tamen corporeis formis præclarior, quæ totæ concretæ, & connexæ cùm corpore ſunt. Quare geminas potentias habet, quaſdam, vt principium eſt intelligendi; quas proprias voluit: quaſdam, vt fons eſt viuendi, & ſentiendi; quas communes cum corpore effecit. Ac licet corpus animet, atq; materiam formet, non tamen ad materiam ita affixa eſt, vt ab ea ſeparari non poſſit; ſiatq; obnoxia diſſolutioni. quod animæ noſtræ immortalitatem comprobat. Ideoq; Ariſtoteles, quia non à materia, ſed ex ſe apta eſt ſpiritum & vitam corpori præbere, illam inquit extrinſecùs corpori aduenire. Nec verò ſtatim atq; cum corpore naturali vinculo iuncta eſt, vires omnes ſuas ſimul exercet, ſed primùm vitæ, deinde ſenſus, poſtremò mentis opera facit. quorum quæ ſunt tempore poſteriora, ſunt dignitate, & nobilitate priora. Ex his quoq; animaduertimus animam, quia eius natura incorporea, & indiſſolubilis eſt, neq; creſcens, neq; decreſcens, indiuiduam eſſe, totam in toto corpore, & in qualibet parte corporis totam. Poſtremò ſcias oportet animam à Deo tunc creari, cùm corpori infunditur. quod contra Platonem eſt, qui om-

De Gener. Animal. 2. cap. 3.

qui omnium animas à Deo iam tum vnà cum mundo creatas docuit, certiſq; ſideribus collocatas; è quibus quæ rerum terreſtrium amore capiuntur, ſenſim in hæc corpora illabuntur. Quæ opinio longè à chriſtiana doctrina & veritate diſſentit. etſi nonnulli ſic nobis illum conciliant, quòd ſenſerit animam vel creatoris conſilio, vel naturæ dignitate, vel temporis aliquo momento priorem; quòdq; ipſa proximè à Deo, corpus verò ab ipſa motum recipiat. At illa delirantis omnino ſententia eſt, quæ vult hominem ſolam animam eſſe, non autem anima & corpore conſtare. Sed multis argumentis à doctiſſimis hominibus exploſa iam eſt.

De duabus partibus animæ hominis.
Cap. VIII.

NEc illa partitio (ne nimiùm euagari videamur) quæ animam in rationis compotem, & expertem diuidit, vtiq; probanda eſt, ſi de toto animæ genere diſputetur; quoniam brutorum animas nemo dixerit ratione priuatas, ſicuti nec truncum aliquem, aut lapidem, quia nullo modo rationis participes ſunt. Qua de cauſa philoſophos ſic vniuersè animam diſpertientes Ariſtoteles reprehendit. *De An. 3.* Verùm hominis anima in has partes aptè diſtinguitur, cuius potentiæ habent altera ad alteram reſpectum. Quæ diuiſio teſte Cicerone primùm à Pythagora, *Tuſ. 4.* tum à Platone facta eſt, mox etiam ab Ariſtotele recepta. *Eth. 1. ca. vl. et Eth. 6. cap. 1.* Ac Pythagoram quidem (vt Plutarchus ſcribit) ad faciendam hanc animæ diſtributionem muſica quædam ratio induxit. *Lib. De Virt. morum.* Nam adoleſcentis cuiuſdam cupiditatem cùm olim tibicinis cantu reſtinxiſſet, coniecit vim quandam eſſe in homine per ſe quidem rationis expertem, ſed tamen audientem imperio, & dicto rationis. Platonem verò in

primis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

primis commonuit huius mundi, quem animatum credidit, natura: in quo pars vna cæleſtis & æterna eſt, altera mutabilis & caduca. Itaq; in homine, qui ob imaginem mundi, quam gerit, græcè μικρόκοσμος appellatur, partes duas obſeruauit, vnam præditam ratione, alteram vacantem. Et
Lib. 7. ca. 17. Ariſtoteles in Politicis, vt anima, & corpus (inquit) duæ res ſunt, ita quoq; videmus duas eſſe animæ partes, vnam expertem rationis, alteram capacem; mentem inquam, & appetitum. Sacrarum quoq; rerum doctores eaſdem animæ partes, ſed diuerſis nominibus deſignarunt: ac rationem modò ſpiritum, modò interiorem hominem; appetitum verò modò carnem, modò exteriorem hominem vocauerunt. quorum inter ſe pugna, & euentus iſthanc animæ diuiſionem comprobat. Nam quandoq; alter vincit, alter vincitur; quandoq; contrà fit, vt victus uincat: atq; alter bonum, quod honeſtum eſt; alter bonum, quod ſenſum oblectat, perſequitur. Quam ſanè pugnam in homine continente, & in incontinente potiſſimè cernimus; quippe continens uoluptatem expellit repugnante appetitu; incontinens uerò contra rationis conſilium voluptatem excipit. Quamobrem ſi in homine alia uis eſt, qua ſapit, alia, quæ turbidos animi motus continet, patet duas eſſe animæ partes, alteram capacem rationis, alteram expertem. quas qui non videt, furem (ut aiunt) à uenatore non diſcernit. Et quid eſt, quod aliquando ſe ipſo aliquis melior efficitur, aliquando deterior, ni ſit alia mentis, alia uis appetitus? Ac benè tunc, & tranquillè agitur, cùm in appetitum ratio tenet imperium; tunc uerò perturbationum fluctibus agitamur, cùm appetitus contra rationem ſuperior eſt. Quòd ſi omnem ex homine rationem eximunt, quonam obſecro modo tot, tantoſq; animi affectus moderabimur? quorum dici vix poteſt quantæ concitationes, & mutationes ſint. Aut cur in turpibus rebus erubeſcimus, ſi nulla mens eſt, quæ turpitudinem

coarguit? Hoc etiam magno eſt eorum, quæ dicimus, argumento; quòd mens hòc magis viget, quò magis corpus debilitatur. Ideoq; ſenes prudentiores ſunt iuuenibus non ſolùm propter longum vſum & experientiam rerum, ſed etiam quia paucioribus, ac leuioribus perturbationibus, quàm iuuenes, commouentur: quæ perturbationes contemplationi rerum, atq; ſcientiæ incredibiliter officiunt. Ac porrò qui duplicem verecundiam eſſe dixit bonam, & malam ———— ἥτ' ἄνδρας μέγα σίνεται, ἠδ' ὀνίνησιν. *Homerus Iliad. ω.* is ſenſiſſe videtur affectum ſæpe obtemperare, ſæpe etiam repugnare rationi. Malè igitur nonnulli appetitum nihil aliud eſſe putant, quàm rationem improbam, & effrenatam, atq; ex malo, peruerſoq; iudicio exortam. Cæterùm animæ pars rationis expers duplex eſt, altera ad capienda conſilia, & præcepta mentis apta, & habilis; altera omnino inepta. Hæc porrò ea vis eſt, qua viuimus, & vigemus: ad quam neq; affectus, neq; vlla virtus pertinet. Nunc de vtraq; animi parte, intelligentia, inquam, & appetitu ſingillatim dicamus, vt totam virtutis naturam explicemus.

De intelligentia, & modo intelligendi.
CAP. IX.

PRæſtantiſſima humani animi pars, græcè νοῦς, latinè modò ratio, modò intelligentia, modò mens dicitur: quanquàm propter varios intelligendi modos hæc nomina ſæpe diuerſas habent ſententias. Nam ratio nominatur, cùm animus ex vnius rei notitia in alterius cognitionem venit. Proinde homines vti ratione dicuntur, quia ratiocinando intelligunt. Quod ideo eſt, quia noſtra intelligentia ſenſuum cognitione nititur. Cùm verò ſinè ratiocinatione rem, quam in promptu habet, animus contempla-

templatur, illi nomen eſt intelligentia, ſiue mens, ſiue pars animi ſuperior. nam rationem vocant partem animi inferiorem. Ex quo nomen intelligentiæ interdum contemplationem ſignificat:& angelus,quia ſinè ratiocinatione rerum naturas comprehendit, appellatur intelligentia. Omnium tamen horum nominum ſæpe eadem eſt ſignificatio, quia vim vnam, & eandem notant: qua nimirum animus veritatem inquirit, & percipit. Nec verò intelligendi vis animæ aduentitia eſt, quemadmodum perperam docet Auerroes, ſed eſt inſita, & naturalis; ſicut videndi vis, vt

Eth. 1. cap. 6. Ariſtoteles ait, oculo naturaliter in eſt. Neq; etiam Democritus rectè eandem intelligendi, & ſentiendi vim eſſe credit. quod infra patebit, cùm ſenſus, & intelligentiæ diſcrimina proferemus. Nunc quo modo animus noſter intelligat doceamus. Dictum eſt antea phantaſiam à ſenſu co mmuni ſpecies rerum, quæ ſub ſenſus cadunt, recipere. his intelligentia excitatur ad cognoſcendas rerum naturas, quarum ſpecies ſunt: eaſq; inſito quodam lumine contuetur, denudatq; (vt philoſophorum more loquamur) corporeis conditionibus,quæ materiam deſcribunt:vnde communes quaſdam rerum ſpecies format ab omni materia ſecretas. Ad quas formandas non equidem neceſſe eſt vim eius infinitam eſſe, cùm nihil commune, & vniuerſale re ipſa exiſtat: ſed ſatis ad hoc muneris habet, ſi nexu corporis ſoluta,atq; ab omni concretione libera ſit: alioquin tantùm res ſingulares, quemadmodum ſenſus, perciperet. Quæ notiones intelligentiæ, id eſt, rerum in intelligentia expreſſæ ſimilitudines,ipſius paſſiones nuncupantur,quatenus intelligentia rerum ſpecies recipiendo intelligit. ſiquidem recipere philoſophis eſt pati. Itaq; intelligere pati, & intelligentiæ notio paſſio dicitur. Quare dum animus noſter in hoc mortali corpore incluſus viuit,opera ſenſuum ad intelligendum vtatur oportet; cùm in intelligentia nul-

lius rei forma imprimatur, & quaſi ſignetur, quæ ſibi à ſenſibus oblata non fuerit. Ideoq; corporis apta conſtructio reddit hominem ad intelligendum habiliorem: quando phantaſia, cuius viſa intelligentiam mouent, corporea eſt. At verò quoniam alia vis animi eſſe videtur, quæ ſpecies format, alia, quæ formatas recipit (neq; enim Ariſtoteli eadem faciendi, & patiendi vis eſt) ideo duplex intelligentia eſſe videtur, altera faciens, altera patiens, ſiue recipiens: quam philoſophorum vulgus modò paſſibilem, quatenus rerum formatas ſpecies recipit, modò poſſibilem, quatenus recipere illas poteſt, nominat. Neq; ob id duas re diſtinctas intelligentias putes, ſed vnius intelligentiæ duas inter ſe differentes virtutes. Eſt autem munus intelligentiæ facientis rerum ſpecies à phantaſiæ loco, & iure abducere; atq; ita effingere, vt ratione comprehendi poſſint. Cùm enim viſum, ſeu græcè phantaſma, corporeum ſit, atq; diuiduum, non poteſt æque vi ſua intelligentiam, quæ ſimplex, & indiuidua eſt, mouere. Quapropter vim aliam adeſſe oportet ſimplicem, nihil admixti, & coagmentati habentem, quæ ſui ſimiles formas effingat. Iam intelligentia qua ratione rerum ſpecies retinet, atq; conſeruat, memoria vocatur: cui ſocia eſt reminiſcentia: quæ quoniam ratiocinatione ad ſuum opus vtitur, in beſtijs nulla eſt; quæ mentis & rationis expertes ſunt. Species autem ipſæ, quia nullum corpus, nullamq; magnitudinem habent, labefactari neq; ſenio, neq; vllo alio modo poſſunt. Ex his, quæ dicta ſunt, intelligentiæ ſenſuſq; diſcrimina obſeruabimus. Primùm intelligentia ſimplex, & libera eſt, ab omni iunctionis vinculo ſoluta: at ſenſus, quia in corpore inhæret copulatus, & admixtus, diuiſionem patitur, & diſſolutionem. Tum intelligentia, quia nullam magnitudinem habet, ſeipſam intelligit: at ſenſus, quia corporeus eſt, ſuam in ſe vim reflectere non poteſt, nec ſe ipſum ſentire. Deinde intelligen-

De Anima 3.

tia res communes, & vniuerſales cognoſcit, à loco, tempore, & magnitudine liberas: at ſenſus tantùm res ſingulares, loco, tempore, & magnitudine definitas. Ideoq; cùm volumus, intelligimus; quia vniuerſalium rerum formæ inſignitæ in animo, ſemper præſentes adſunt: non autem ſentimus, cùm volumus; quia quæ ſentiuntur extra nos ſunt. Verùm intelligentia per rerum notarum veſtigia cognitionem ignotarum venans, difficulter, ac multis modis intelligit. nam quid rem quamq; conſequatur obſcurum eſt. at ſenſus, quia nullius ratiocinationis eget, ſed vno ſemper modo res percipit, certiùs, faciliuſq; cognoſcit. Ad hæc intelligentia, quia informis eſt à natura, habitu eget, quo perficiatur: at ſenſus perfectus à natura eſt. Sciteq; Ariſtoteles intelligentiam ad perfectæ rationis habitum perductam ſenſui aſſimilat. Præterea nullius rei ſpecies quantumuis excellens, & eminens lædit intelligentiam, immo verò etiam iuuat, atq; corroborat: at ſenſum vehementior res offendit; ſicut aduerſis Solis radijs oculorum acies obtunditur: quanquàm intelligendi viam obſtruit debilitatio eius corporis partis, in qua ſeruantur viſa, quibus ad inueſtigandas rerum naturas mens adiuuatur. Hinc etiam diſpar vtriuſq; ratio apparet. Nam res, quæ ſenſum afficit, cum ſenſus natura congruit, quia concreta eſt: at viſum, quia corporeum eſt, aliam habet vim, & conditionem, quàm intelligentia. Qua de cauſa neceſſariam eſſe diximus ad intelligendum intelligentiæ facientis operam, & lumen. Poſtremò quia intellectus non viſum, ſed viſi naturam aduertit, rei ſubſtantiam, & quæ ſubſtantiæ accidunt conſiderat: at ſenſus tantum rei ſpeciem intuetur, & quæ ſubſtantiæ accidunt corporata, & mixta. Duo tamen ſunt intelligentiæ ſenſuiq; communia, & quòd vterq; rerum ſpecies capit, & quòd vterq; facit, & patitur.

De Anima 3.

De

De rebus, quæ ſub intelligentiam cadunt: deq́; duplici intelligentia. CAP. X.

PAr eſt autem videre quæ res ſub intelligentiam cadant. Porrò ſi modum intelligendi ſpectemus, cùm in hoc ſtatu vitæ nihil ad intelligendum mouere animum poſſit, niſi viſum, hoc eſt, ſpecies rei perceptæ à ſenſu, certè intelligentiæ ſolùm ea obijciuntur, quæ ſub ſenſus cadunt. ſiquidem nullius rei ſpecies in intelligentia exprimitur, quam non illi ſenſus aliquis obtulerit. Sed ſi virtutem mentis conſideremus, poteſt omnes res tam ſimplices quàm concretas, tam corporeas quàm incorporeas, tam caducas quàm æternas comprehendere: verùm per proprias ſpecies res corporeas, incorporeas verò per alienas, ſed tamen proximas ſenſibus, & familiares. Hinc nimirum eſt, quòd res ſimplices, & omnis iunctionis expertes, quales ſunt diuinæ, vel ex ipſarum effectis, quæ ſenſum attingunt; vel ex ſimilitudine cognoſcimus, quàm habent ad ea, quæ ſenſibus percipiuntur. Molitur autem intelligētia circa res ſibi propoſitas duo. Nam aut res ſingulas per ſe quamq; conſiderat; aut ipſas rerum notiones inter ſe confert, vnam cum alia connectens, vel ſeparans. Idq́; eſt affirmare, vel negare. Cumq́; rerum notiones ita confert inter ſe, vt ſe res habent, vera; ſin ſecus, falſa eſt. Quare veritas, & falſitas non in ipſis rebus, ſed in intelligentia primùm eſt; deinde in vocibus, quæ ſunt notæ comprehenſionum intelligentiæ. Intelligentiam inſuper duplicem faciunt, alteram, quæ ſola rerum inſpectione contenta eſt; alteram, quæ modum aliquid moliendi ex ſua ſcientia præſcribit. Atq; illa quandoq; dubia, & incerta eſt, cùm aliquam opinionem concipit; quandoq; certa, & conſtans, cùm certam, & ne-

ceſſariè demonſtratam cognitionem adipiſcitur: hæc verò vel actionem, vel factionem aliquam docet. Actio in ipſo animo conſiſtit, non extrà prodit; quales ſunt actiones prudentiæ: at factio extrà prodit, opus relinquens, quod tangi, aut cerni poteſt; qualia ſunt artium opera. quod diſcrimen altero libro clariùs aperietur. Nec duas tamen intelligentiæ vires inter ſe diuerſas eſſe putaueris, ſed vnam atq; eandem, à ſeipſa ſecundum varia opera differentem, & à diſparili fine diſſimilem denominationem ſortitam. Nam altera intelligentia θεωρικὴ, altera πρακτικὴ nominatur. Ac licet vtraq; veritatem ſpectet; tamen illa veritatis ſola inſpectione delectatur, hæc veritatem ad opus aliquod applicat. Quamobrem illa verum dumtaxat veſtigat, hæc etiam bonum exquirit, cuius ſpecie voluntatem moueat.

De triplici Appetitu. Cap. xi.

HIc locus à nobis poſtulare videtur, vt de voluntate agamus, nimirum intellecti boni appetitione: ſed ad rem omnem explicandam accomodatius fore arbitror, priùs in vniuerſum de appetitu dicere, atq; eius genera oſtendere. Eſt autem appetitus ad rem aptam, & conuenientem commotio: diſtinguiturq; pro rerum formis; quia vnaquæq; forma, quæ eſt ipſamet natura, & ſubſtantia rei, ſuam habet ad rem ſibi congruentem propenſionem. Huius ad rem ſibi cohærentem procliuitas appetitus naturalis dicitur. qui ſemper idem, & neceſſariò eſt; quia natura ſemper eadem manet, nec contrà fertur. Vnde quòd leuia in ſublimes mundi partes ferantur, & grauia in contrarias, naturæ vis facit. Præter hunc communem, & naturalem appetitum alius eſt, qui cognitione aliqua ducitur, illo priore nobilior. Ac quoniam ſenſus, & intelligen-

ligentia res diſſimili modo cognoſcunt, appetitus, quem ſenſus ciet, differt ab eo, quem ratio mouet: atq; ille bonum concupiſcit, quod ſenſui arridet; hic bonum expetit, quod ab intelligentia proponitur. Tria igitur ſunt genera appetitus: quorum primus naturæ inſtinctus; alter, qui ad ſenſus præſentiam mouetur, commune nomen vſurpauit, licet à quibuſdam ſenſitiuus, à nonnullis non ſatis bonis latinæ linguæ authoribus ſenſualitas dicatur; tertius voluntas propriè nominatur. Naturali ſolo elementa, & ex elementis compoſita inanima corpora, quæq; ſtirpibus vigent: Angeli naturali, & voluntario: Beſtiæ narurali, & ſenſitiuo, expertes voluntarij: Homines omni appetitu mouentur. Cæterùm id, quod appetitum allicit, vocant bonum: quod vel re vera bonum eſt, vel ſolam boni ſpeciem habet. quandoquidem tam intelligentia, quàm ſenſus facilè errat, atq; decipitur. Ac licet verum ſit re idem, quod bonum, tamen ratione differunt. Nam verum dicitur, quatenus in aliquo rerum genere eſſe cognoſcitur; bonum verò, quatenus naturæ aptum, & accommodatum eſt: atq; illud ad intelligentiam, cuius eſt affirmare & negare; hoc ad appetitum pertinet, cuius eſt omnis in ſequendo aliquid declinandoq; conatus. Rectéq; Ariſtoteles verum, & falſum inquit eſſe in mente; bonum, & malum in re. quippe verum aſſenſionem petit intelligentiæ; bonum reſpicit conuenientiam rei. Cùm autem mali declinatio res ſit opportuna, & ſalutaris, profectò appetitus dum malum vitat, ipſum bonum ſequitur: ac quandoq; bonum alicuius grauioris mali metu recuſat, & malum alicuius maioris boni ſpe ſumit. & phantaſia appetitum, intelligentia voluntatem ducit. Quoniam verò ipſa vis appetens à boni ſpecie allecta mouet animam, à philoſophis mouens, & mota vis nuncupatur.

De

De Voluntate. Cap. XII.

SEquitur verò voluntas vt ducem & conſulem intelligentiam, non quidem eam, quæ ſolam veritatem indagat, ſed eam, quæ rei conuenientiam, fructumq́; conſiderat. quæ quoniam opinione boni eludi poteſt, voluntas quoq; falli & induci poteſt. Significat autem voluntas quandoq; ipſam animi vim, ſeu facultatem, aut potentiam appetendi, quandoq; ipſam appetitionem; quàm noſtri volitionem appellant. Et quoniam eſt ſimplex, atq; in ſe vim ſuam, vt intelligentia, reflectit, ſcit quod appetit. Tum etiam quia nihil concreti & admixti habet, quæ communia ſunt bona expetit: poteſtq́; in diuerſa ferri, quia bona ſunt varia, & multiplicia: ad eligēdum verò, aut reijciendum hoc, vel illud ab intelligentia conſulente & ducente inducitur. Nec ſolùm à ſenſu, ſed etiam à natura, vt cauſa à cauſa diſtinguitur. Eſt enim vtraq; agendi, ferendiq́; principium. Sed natura non niſi rem vnam certam & definitam petit: quia vnius rei naturalis vnus eſt conſtans, & definitus motus: at voluntas res multas diuerſaſq́; deſiderat; quia intelligentia diuerſarum rerum notiones, & rationes percipit. Et quamuis ipſa voluntatis vis ingenita ſit à natura, tamen eius motus quandoq; naturalis, & neceſſarius eſt; quandoq; ſolutus, & liber; cùm nimirum ex libero (vt theologi loquuntur) rationis arbitrio prouenit. Vocant autem liberum arbitrium integram animi hoc, vel illud optandi facultatem. quæ ex eius, quod voluntati obijcitur, natura
Ariſt. Eth 3. planiùs intelligetur. Primùm quidem voluntas ſemper aliquem finem reſpicit: non quòd præter finem alia velle nequeat; ſed quoniam quæ uolumus, alicuius boni & finis gratia quærimus. Finis itaq; propter ſe, cætera propter finem

nem expetuntur: quæ eatenus cenſentur bona,quatenus ad finem pertinent. Quòd ſi vnaquæq; res naturæ impulſu generis ſui perfectionem quærit; finis autem perfectum & abſolutum bonum eſt; naturaliter, & neceſſariò finem expetimus, noſtræ inquam abſolutionem perfectionemq́; naturæ. Quæ perfectionis, ſeu felicitatis appetitio græcè θέλησις nominatur, inſtar formæ naturalis eadem, & conſtans in omnibus ſemper. At bonorum, quæ ad expletionem, perfectionemq́; naturæ conferre poſſe videntur, appetitio βούλησις dicitur, quia in conſultationem iſta veniunt: quæ quidem ſi ad conſequendam beatitudinem viſa omnino fuerint neceſſaria, ſtatim inſtigante natura arripimus. Quamobrem voluntas inſtinctu quodam naturæ neceſſariò finem, hoc eſt, naturæ ſuæ perfectionem petit; quæ verò ad finem conducunt,ea liberè,& conſultò aſſumit. Atq; vt intelligētia veritatem,cui nihil ineſt obſcuri, cuius modi ſunt prima, & commuuia omnium doctrinarum principia, quæ per ſe nota & euidentia ſunt, ſinè vlla hæſitatione arripit; hæret verò,ſi quem in ipſa veritatis ratione ſcrupulum offendit: ſic voluntas bonum,quod perfectum omni ex parte videtur, prorſus amplectitur; non item bonum, quod aut vitium aliquod habere, aut ad ſummam bonorum ſuorum non vſquequaq; facere viſum fuerit. Tum finis vnus eſt certus, & conſtitutus: per quæ verò ad finem tēditur,plura ſunt & indefinita:quæ autem capere oporteat, mens ipſa, ratioq; definit. Ac quando finem nobis priùs proponimus, quàm deligimus ea, quæ ſunt ad finem, ſanè primus motus voluntatis à natura eſt, non à ratione præſcribitur: reliqui verò eius motus liberi ſunt,poſiti in noſtra poteſtate,prout nobis hoc,vel illud ſeligendi ius eſt.Namq; electio eſt eorum, quæ finis gratia ſunt. In quibus liberis actionibus omnis virtus, vitiumq́; conſiſtit. quod nos infrà docebimus. Sed quomodo voluntas ab alia vi animæ moueatur,

ueatur, & alias vires ipſa moueat; nam vis mouens mota dicitur; exponamus. Primùm quòd moueatur hinc patet, quia incipit velle quod antè noluit. mouetur autem ſolùm ab intelligentia, quæ bonum, & vtile ipſi proponit. Quare dum intelligentia non fallitur, recta eſt appetitio. At ſe ipſam mouet in eo, in quo finem ſpectans aſciſcit ea, quæ pertinent ad finem. Neq; hoc ſinè mente, & conſilio facit. Alias verò partes ipſa mouet, hoc eſt, ad propria opera impellit, cùm vniuerſum bonum hominis proſpiciens, omnibus ea præcipit, quæ in ſuo cuiq; genere ad totius humanæ naturæ incolumitatem, & expletionem faciunt. Vnde naturaliter expetimus non ſolùm ea, quæ voluntati vt propria bona obijciuntur, ſed etiam ea, quæ cæteris animæ partibus conueniunt, vitam, valetudinem, ſcientiam, & huiuſmodi res alias, quæ ad ſalutem, & integritatem, & totius hominis beatitudinem valent. Itaq; intelligentia ad contemplationem rerum à voluntate applicatur; quia verum, quo intelligentia perficitur, tanquam ſingulare quoddam bonum ad vniuerſam humanæ perfectionis attinet rationem. Et ſinè vllo quidem voluntatis imperio quæ ſibi à ſenſibus offeruntur intelligentia ex ſe accipit: non tamen ſinè voluntate iſtorum naturas, proprietateſq; perquirit. Quamobrem voluntas omnibus animæ partibus tanquam architectonica dominatur, inter intelligentiam, & actiones externas media. Neq; abſurdum eſt vnam potentiam ab alia moueri, & eandem ipſam mouere ratione diſſimili.

De Appetitu propriè dicto, ſiue ſenſitiuo.
CAP. XIII.

VErùm ad id commotio, ad quod phantaſia inuitat, communi nomine, tanquam proprio, vocatur appetitus: qui non ſinè aliquo ſenſu eſt; & magis errore capitur,

quàm voluntas; quoniam ſenſus, à quo ducitur, faciliùs decipitur, quàm intelligentia. Sed neq; ſimplex eſt, vt voluntas: quippe cui eſt cum corpore coniunctio: quam eius affectiones indicant, quæ corpus immutant. Nam de irato quàm pulchrè Poëta:

His agitur furijs, totoq; ardentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis. AEneid. 12.

& de homine timore perterrito idem,

Arrectæq; horrore comæ, & vox faucibus hæſit. AEneid. 4.

& de Didone miſerè AEneam amante,

Sæuit inops animi, totamq; incenſa per vrbem AEneid. 4.
Bacchatur ——— & quia coniunctionem habet cum corpore, tantùm res eas ſequitur, quæ ſenſu percipiuntur. Præterea voluntatis appetituſq; diſcrimen hinc etiam cognoſcitur; quoniam ſæpe inter ſe certant; cùm altera voluptatem expelli, alter admitti ab homine contendit. Habet autem appetitus uim duplicem, cupiditatem inquam, & iram: nimirum partes, in quarum altera cupiditatum libido, in altera irarum eſt ardor. Quæ quidem vires ſecundum Ariſtotelem in corde ſunt, à quo eſt motus omnis. verùm Platonici cordi quidem iram, vbi ſanguis igneus fouetur. quare candens, & acerba eſt. vnde Horatius inquit.

——— *& ſæui Leonis* 1. Carm.
Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro. Od. 16.

& apud Homerum Achilles (ita carmen Cicero è græco in latinum conuertit) Tuſ. 3.

Corq; meum penitus turgeſcit triſtibus iris.

& Cicero pro Cluentio, Nunc mihi animus ardet, nunc meum cor cumulatur ira. Cupiditatem verò iecori addunt; nempe in quo ſanguis conſiſtit aëreus, à cuius lenitate iucunda cupiditas extat; quodq; cibi, & potus deſiderium retinet; ac propter ſoliditatem, & lenitatem, quam habet, Pythagoræorum iudicio, inſtar ſpeculi rerum imagines à

phantaſia recipit, redditq́;. Ex quo mulieris grauidæ cogitatio ſæpe in fœtu tenerrimo concupitæ rei notam effingit. Nec indoctè finxerunt poëtæ Tityi iecur ob ſtuprum, quod Iunoni inferre tentauerat, à vulture apud inferos exedi. Sed vt cupiditas iecori adhæreſcat, certè motus initium ducet à corde. Cupiditas eſt vis aptas, & naturæ accommodatas res appetens, fugienſq́; contrarias: Ira tanquam eius miniſtra dimouet ea, quæ cupiditatis conatibus obſiſtunt. Etenim prouida, ſolerſq́; natura vim rebus inſeruit, non ſolùm qua bonum appeterent, ſed etiam qua malum repellerent, Itaq́; igni leuitatem dedit, qua ad ſuperiora feratur; & calorem, quo ſibi aduerſum frigus propulſet. Nec dubium eſt cupiditatem, & iram duas eſſe appetitus diſtinctas vires. nam ira ſæpe aliud, quàm cupiditas requirit; & altera alterius motum impedit. non tamen ſic voluntatis in ſequendo, & declinando duæ, & diſtinctæ ſunt potentiæ: ſed quia ſimplex eſt, vna eademq́; vi obtinet, quæ ira, ſimul & cupiditas diuerſis viribus. Sed videndum breuiter eſt, quo pacto appetitus, cùm ex ſe rationis expers ſit, fiat quodam modo rationis capax. Suprà diximus appetitum eſſe vim animæ admixtam corpori, impelliq́; à phantaſia. Porrò phantaſia ſubiecta eſt rationi tenenti in homine principatum. Quare & appetitus rationi obedit, cùm à ratione phantaſia regitur. Quocirca hominis appetitus nobilior eſt, quàm beſtiarum: ſubitq́; interdum nomen voluntatis; quoniam mentem & rationem audit. Verùm ſubiectus rationi non eſt in his corporis, animæq́; naturalibus affectionibus, quæ rationi nullo modo ſubijciuntur. Quandoq́; etiam viſa quædam rerum formidabilium mentis conſilium præueniunt, & ex improuiſo in animum irrumpunt, ita vt quemuis etiam Stoicum grauiter perterreant. Proinde primæ animi commotiones, quia mente prouideri nequeunt, voluntariæ non ſunt; nec deinceps laude vlla, vel repre-

reprehenſione dignæ, cùm in noſtra poteſtate non ſint. Nihil enim laudabile, aut vituperabile eſt, quod voluntarium non eſt. Appetitus igitur voluntati, vt inferior ſuperiori, obtemperans, participat rationem: qui tamen aliquando non cogendo, ſed alicuius boni ſpecie alliciendo voluntatem ad ſe adducit. Nec quidem regio dominatu voluntas appetitum imperando, & cogendo verſat, ſed ciuili gubernatione monendo, & hortando regit; nec mathematicis probationibus, ſed oratorijs ſuaſionibus illum quò vult inducit; nec breui tempore, ſed longo vſu & exercitatione confirmat. Quare qualitates appetitus vſu comparatæ rectè appellatæ ſunt mores. Quòd ſi belluæ loqui, & artificioſa quædam opera facere addiſcunt, cur hominis appetitus nō aſſuetudine quotidiana, & exercitatione continua rationi obtemperare aſſueſcet, non diſiunctus ab anima, vel extraneus, ſed coniunctus, atq; domeſticus?

De Affectionibus, ſeu Paſſionibus animæ.
CAP. XIIII.

CVm igitur appetitus partes habeat duas, & plura ſint vtriuſq; partis genera commotionum, docendum eſt quæ quamq; ſequantur. Commotiones appetitus Cicero affectus, & affectiones; quòd affici commoueri ſit, græci πάθη, latinorum nonnulli græcum verbum reddentes, paſſiones vocant, tum quia ab expetibili re attrahi eſt pati, tum quia id non ſinè aliqua corporis immutatione fit. Magna tamen eſt inter Stoicos & Peripateticos de his affectionibus controuerſia. Nam Stoici ſenſum ab intelligentia, & voluntatem ab appetitu minimè diſtinguentes, omnes affectiones prauas eſſe putant; & virtutem non moderationem affectuum, ſed vacuitatem, & tranquillitatem

ſublata eſſe videtur. Atq; etiam aliter nonnulli in quatuor tanquam primarios diuidunt affectus, ſcilicet in gaudium & triſtitiam, ſpem & metum. quos Virgilius hoc verſu complectitur.

Hinc metuunt cupiuntq;, dolent gaudentq;. *AEneid. 6.*

quos affectus ex opinione boni & mali præſentis & abſentis generari aiunt, gaudium ex opinione præſentis boni, triſtitiam ex opinione præſentis mali, ſpem ex opinione abſentis boni, metum ex opinione abſentis mali. Omnes etenim affectus dolore, & lætitia terminantur, atq; ab amore, & odio proficiſcuntur. Sic à deſiderio ſpes, à fuga metus exoritur. Atq; etiam harum motionum ſimiles, ſed ſinè vlla corporis immutatione, voluntas etiam habet: quanquàm interdum accidit, vt ſi vehementiores fuerint, in corpus redundent. Et quidem vniuerſi opifex ſapientiſſimus Deus vt ſenſibus corpus, ſic affectibus animum ad ſuorum munerum functiones inſtruxit. In horum affectuum cognitione diuerſi artifices diſſimili ratione verſantur: Phyſicus, vt à natura ſunt; Moralis philoſophus, vt in illarum moderatione virtus conſiſtit; Orator, vt in audientibus illos excitet, aut ſedet; Poëta, vt in fictis perſonis imitetur.

IO. ANTONII VIPERANI DE VIRTVTE LIBER II.

De Diuiſione Virtutis. Cap. I.

SI igitur virtus (vt definitum eſt) cunctas animi partes, prout ſtatuit natura, componit, & ſeruat, vna quidem in primis, & vniuerſa virtus eſt, totius inquàm hominis perfectio: quam nonnulli ſapientiam vocant. Nec abſurdè Menedemus Erethrienſis, & Ariſto Chius, & Zeno Cittieus (vt Plutarchus refert) vnam virtutem eſſe putarunt; quam totius animi rectam compoſitionem eſſe dixerunt. Sed vt vna ſit, plures tamen formas habere putanda eſt. Nam tot genera virtutis eſſe oportet, quot ſunt virium, ſeu potentiarum animæ, in quas cadit virtus. Neq; enim in omnes animæ vires cadit uirtus, ſed in eas, quæ capaces ſunt rationis; ſinè qua nulla virtus conſtare poteſt. Atqui partes animæ rationis capaces duæ ſunt, intelligentia, & appetitus, is, qui aliqua cognitione ducitur. Igitur uirtutis duo prima genera ſunt; quorum alterum noſtri philoſophi intellectuale, alterum morale appellant: quoniam affectiones, & qualitates appetitus latinè mores, ἤθη græcè dicuntur. Plato illud cognitionis, hoc appetitionis uocat. Reliquæ animæ uires ſunt à uirtute uacuæ;

In Placitis philoſophorum.

cuæ;

cuæ;quia ſunt rationis expertes. Atq; hæc uirtutis prima diuiſio eſt ab omnibus recepta, & probata philoſophis. Verùm Cicero quatuor genera virtutis ex vno honeſti fonte deducit. Nam præter morales tres iuſtitiam,fortitudinem, & temperantiam, quartam facit ſapientiam. Sed dum vni ſapientiæ reliquas intelligentiæ virtutes ſubijcit, nihil penè ab alijs differre videtur. Aut enim, inquit,virtus in perſpicientia veri,cognitioneq́; verſatur, quæ ſapientia dicitur; aut in animi magnitudine, ac robore, quæ fortitudo; aut in dictorum, factorumq́; ordine, & modo, quæ temperantia; aut in tuenda hominum ſocietate, & tribuendo ſuum cuiq;, quam iuſtitiam appellant. Atq; idem Cicero vim omnem virtutis in ſcientia, & actione poſuit: tum ſcientiæ ſapientiam, & prudentiam ſubiunxit;actioni verò temperantiam: quo nomine cunctas virtutes morales comprehendit. Idem quoq; alibi virtutes in naturales,quæ ſunt inſitæ à natura, & voluntarias diuiſit, quæ noſtri iuris ſunt. & naturales, quas etiam inuoluntarias vocauit,alias corporis, vt ſanitatem, & pulchritudinem, alias animi fecit, quæ nimirum aliquam animi præſtantiam habent, vt docilitatem, & memoriam: quæ vno ingenij nomine appellantur: eaſq́; qui habent, ingenioſi nuncupari ſolent. quanquàm eiuſdem Ciceronis ſententia voluntariæ,vt prudentia, temperantia, fortitudo, iuſtitia, & reliquæ eiuſdem generis proprium virtutis nomen obtinuerunt, veræ, & magnæ virtutes, quæq́; multum excellunt, eò,quòd ex ratione gignuntur, qua nihil eſt in homine diuinius. Sed operæ precium eſt videre quonam pacto virtutes, quas Cicero voluntarias vocat, neq; naturales ſint, nec contra naturam. Hinc enim modum, quo illas comparemus, planiùs, & apertiùs explicabimus.

Offic. li. I.

In Partitionibus.

De Fin. lib. V.

Ib.

Quòd

Quòd virtus neq; naturalis ſit, nec contra naturam. CAP. II.

ATq; hoc maximè diſputandum eſt propter Platonicos, & Stoicos: quorum primi virtutes omnes naturales eſſe dixerunt; alteri amitti non poſſe. Plato enim credidit hominum animas vnà cum ipſa rerum vniuerſitate à Deo creatas fuiſſe, atq; ab eo virtutum omniũ habitus accepiſſe, & ſedes in cælorũ ſtellis, quas Cicero ſempiternos ignes appellat: verùm vbi corpus ſubeunt, omniũ bonarum rerum obliuione obrui, ſed proceſſu temporis doctrina & exercitatione in oblitarum rerum memoriam redire. Vnde noſtrum ſcire nihil aliud eſſe dixit, quàm reminiſci. Stoici verò tantam ſapienti conſtantiam tribuerunt, vt virtutem nullo modo amitti poſſe putarint. Contra utroſq; Ariſtoteles inquit poſſe aliquem ex prauo fieri bonum, & ex bono prauum; nec à natura niſi ſolam potentiam dari, habitum uerò uſu & exercitatione acquiri. Quæ res ut meliùs accipiatur, enodanda eſt uis, quam huic uerbo cùm naturale dicunt uolunt eſſe ſubiectam. Naturale uocant, non quod natura cõſtat, materia inquam, & forma, ſed quod ſecundum naturam eſt; quod inquam cuiuſq; naturæ proprium eſt: quod cuiuſq; uel materiæ, uel formæ cõuenit: quod nimirum cuiq; ex ſuis eſſentialibus principijs, quæ ſunt materia & forma, obuenit. Tum natura uel peculiaris eſt, cuiuſpiam indiuiduæ rei propria, ut Ioannis, uel Petri, aut Pauli, uel eſt communis omnium, quæ eodem genere continentur, ut omnium hominum. Ad hæc naturale interdum uoluntario, & artificioſo, ut contrarium contrario opponitur; interdum coacto & impulſo. Quòd autem virtus non ſit naturalis, prout naturale opponitur volun-

In Somnio Scip.

voluntario, ſic probari poteſt. Si virtus nobis ineſt à natura, vel à natura cuiq; propria, vel ab omnium communi. Non autem à propria nam alioquin neq; bonus ex malo, neq; malus ex bono vnquam aliquis fieret: quippe natura conſtans, & eadem ſemper eſt. Neq; etiam à communi. conſequens enim eſſet omnes homines aut probos, aut improbos eſſe natura. Quod nõ ita eſſe morum, actionumq; varietas oſtendit. Aut quid opus eſt ad rectè viuendum morum præceptis? cur latæ leges? cur conſtituta præmia? cur ſancitæ pœnæ, ſi virtus & vitium non ſunt voluntaria? Quæ verò à natura ingenerantur, nec doctrina egent, nec in noſtra poteſtate ſunt. Deinde naturalis facultas nullam noſtram operam, vſumq; requirit: ipſa ad ſua munia ſatis ex ſe apta eſt. Vnde ſtatim atq; cernendi facultatem à natura accepimus, ſimul quoq; rerum aſpectum adepti ſumus: nec quia ſæpe vidimus, videndi vim habemus, ſed contrà, quia ſenſum oculorum habemus, cernimus. Virtutem autem non ſinè multa meditatione atq; exercitatione aſſequimur. ideoq; habitus nominatur, quia vſu perficitur. Præterea naturalium rerum vſus non ſubeſt voluntati; at rebus bonis & honeſtis vacamus, cùm lubet. Adde quòd propenſio naturalis eſt ad rem vnam tantùm, & definitam; virtutis verò ſtudium eſt circa multa, & diuerſa ob perſonarum, rerum, temporum, locorum varietatem. Et Ariſtoteles quoq; ſic argumentatur. Quod naturale eſt, nulla poteſt conſuetudine immutari: quia vis eius ex innata forma conſtans & firma eſt. itaq; lapis nuſquam ſurſum ferri conſueſcet, vel ſi millies in ſublime iaciatur, qui ſemper deorſum naturali & ſuopte nutu fertur. At intelligentia & appetitus hominis, quia liberæ ſunt vires animæ, varijs actionibus ad virtutes, & vitia effinguntur. Non igitur voluntariæ virtutes nobis innatæ ſunt. Sed neq; contra naturam comparantur, quaſi repugnante natura; verùm ſecundum naturam; quia

facultatem comparandæ virtutis à natura obtinuimus. Tum virtus ad id potiſſimè nos afficit, quod naturæ maximè congruit, hoc eſt, rationi: quam eſſe formam, & naturam hominis ſuprà oſtendimus. Ex quo vitium, quia rationi pugnat, contra naturam eſt. Ac profectò (vt Cicero inquit) natura ſic generata vis hominis eſt, vt ad omnem virtutem percipiendam facta videatur. Cerne pueros, in qua ætate vis naturæ cognoſcitur, vt virtutum ſimulachris ſinè doctrina moueantur: quòd nimirum in ſe virtutum ſemina habeant: quibus auctis, virtutis quaſi carmen efficitur. Quin immo virtutes ipſæ differentias aliquas, veluti colores quoſdam, ex eorum, quibus inſunt, aut ingenio, aut educatione, aut corporis temperatione trahunt. Proinde alius alio vel prudentior, vel moderatior videtur eſſe natura. Quamobrem virtus neq; omnino naturalis eſt, nec contra naturam: cuius ortus à natura, perfectio ab vſu eſt. Atq; hæc quidem faciliùs de virtute morali, cuius nomen oſtendit ipſam vſu partam, non à natura inſitam eſſe, quàm de virtute intelligentiæ, quæ plurimùm ſolertia mentis, & ingenij continetur, diſputantur: tamen ſtudium, quod acquirendis bonis artibus, & diſciplinis ponitur, quid à natura detur, quid à nobis afferri oporteat, declarat. quanquàm in hac virtute habiliores naturæ muneribus, quàm in morali ſumus. Vna tamen cognitio principiorum à natura maximè indita videtur: quam animus ſinè longa meditatione arripit. Sed de ea ſuo loco diſſeremus.

De Fin.

De Habitu. CAP. III.

CVm autem animæ potentiæ perfectio, id eſt, virtus ſit habitus, atq; in primo libro de potentia egimus; in hoc altero pauca dicamus de habitu. Eſt porrò

habitus

habitus firmus eius rei, quæ varijs modis affici poteſt, compoſitio. Et quidem compoſitio, ſeu diſpoſitio nomen eſt generis, ſub quo & habitus, & compoſitio, vt ſpecies quædam, collocantur: ille conſtans, iſta mutabilis eſt compoſitio. Itaq; habitum eſſe firmam compoſitionem finiuimus. Diciturq; ab habendo, quod eſt aliquo modo affectum eſſe. Ac quia plura oportet in compoſitione intelligi, certè res, quæ ſimplices, & ſemper vnius modi ſunt, velut qualitates elementorum, nullum habitum recipiunt: ſed res eæ, quarum formæ, vel officia diuerſo modo inſtitui poſſunt. Proinde corporis qualitatum congruens temperatio, quæ ſanitas dicitur, & membrorum apta compoſitio, quæ pulchritudo, & neruorum, oſſium, carnium cohærens ordo, qui robur nominatur, vim corporis, & naturam adornantes & inſtruentes habitus ſunt. Virtus verò eſt animi habitus, quo vis eius, tanquam informis quædam, & rudis materies, ad actionum varias rationes, tanquam ad varias formas flexibilis, ad bonas actiones componitur. Itaq; vt anima eſt corporis, ſic habitus eſt potentiæ quædam ἐντελέχεια, ſiue perfectio. Ac ſanè habitus à naturali forma differt; quòd illa ex inſita neceſſitate ſemper eſt eorundē operū effectrix, hic ad arbitrium noſtrum effictus eſt, vſurpaturq; à nobis, cùm volumus. Ideoq; ab Auerroe definitur habitus, quo quis vtitur, cùm vult: quoniam in voluntatis poteſtate, non in naturæ ditione tenetur. Quamobrem beſtiarum ad quædam opera non à natura profectæ, ſed ex aliqua exercitatione hominum ſtudio enatæ applicationes non attingunt abſolutam habitus rationem: quia iſtorum operum principia non ſunt in ipſis beſtijs, neq; illarum arbitratu exercentur. Multum quoq; inter habitus animi & corporis differt. Nam illi ſunt ipſæmet principes qualitates inter ſe mixtæ & temperatæ; iſti vires animi, ſiue potentias rectè informant, ac promptiores, atq; habiliores ad conuenientes actiones

reddunt. Quinimmo corporis habitus hoc digni nomine non videntur; quippe quorum cauſæ facilè mutationes ſubeunt: animi verò habitus ſunt ſtabiles atq; conſtantes: ſiquidem animi natura ſui ſimilior, atq; immutabilior eſt. Quam ob cauſam Alexander Aphrodiſæus habitum ſoli animo tribuit. Verùm quæ potentiæ animæ ſint capaces habitus, inſpiciamus oportet. neq; enim omnes capaces ſunt. Omnino habitu opus eſt illi potentiæ, quæ libera eſt, nulli operi à natura addicta, varijsq; modis affici poteſt, atq; in res contrarias conſuetudine trahi. Quare naturales potentiæ, quæ ſunt à natura certis muneribus mancipatæ, neq; poſſunt vllo vſu immutari, nullum habitum deſiderant. Proinde neq; exteriores, neq; interiores ſenſus vllo habitu egent; quorum vim & uſum natura certis legibus deſcripſit: quanquàm interdum noſtro aliquo ſtudio quendam in modum componuntur: ſicuti memoria exercitatione iuuatur. Appetitus verò partes, cupiditas ſcilicet, & ira, quatenus homo alius alio ex qualitatum corporis temperatura vel ad caſtitatem, vel ad manſuetudinem proclinior & aptior exiſtit, habent quidem aliquem, ſed naturalem, & imperfectum habitum; tamen ex conſuetudine à mente & ratione perfectum acquirunt, veluti fortitudinem, & temperātiam. Voluntati, quæ appetitus intelligens eſt, habitum iuſtitiæ tribuunt: quia diuerſis modis in rebus gerendis afficimur. Intelligentiam, quam facientem vocant, quia vis eſt faciens tantùm, non etiam ferens aliquid, aut recipiens, habitu priuant: at illam alteram intelligentiam, quæ rerum cognitiones capit, habitu ſcientiæ ornant. Et bonus quidem habitus eſt, à quo bonæ & laudabiles actiones oriuntur; cōtrà, malus, cuius actiones à recta ratione diſſentiunt. Facit autē bonus habitus, vt de rebus, quæ ſub intelligētiam cadunt, prudēter, ſynceréq; iudicemus; & affectiones animi, atq; actiones ad mediocritatem quandam reducamus.

Quo

Quo pacto fiat habitus, & quo modo à potentia differat. CAP. IIII.

EX frequente autem vſu earundem actionum fit habitus: ac quemadmodum ex quotidiano fidium pulſu citharista, ſic ex aſſidua rerum contemplatione ſapiens, & ex continua malorum deſpectione fortis, & ex multa voluptatum abſtinentia temperans, & ex diuturna iuſtarum rerum adminiſtratione fit homo iuſtus. Perindeq; actiones & habitus, vtres effectæ & efficientes cauſæ inter ſe ſimiles ſunt. Nec verò numerus actionum, quæ habitum efficiant, ullo modo præfigi poteſt, illumq; alius alio vel naturæ quodam munere, vel induſtria & labore citius ſibi comparat: verùm ad cognoſcendam ejus abſolutionem hoc optimum ſignum à ſapientiſſimis hominibus proponitur, cū nimirum nos actio delectat. Nam ab habitu proficiſcentes actiones, tanquam perfectas, & naturales, voluptas ſocia comitatur. Cùm verò difficultas, aut dolor in actione aliqua ſentitur, nec comparatus habitus, nec rectè conſtituta natura eſt. Nec verò putes habitum ex multis actionibus, tanquam corpus aliquod è multis membris, componi, ſed tanquam formam è materia ſenſim eminere: nec quaſi nouam formam induci, ſed à multa earundem actionum exercitatione innatam vim exprimi. Atq; vt ex actionum vſu gignitur, & conſeruatur habitus, ſic ex earundem vacatione relaxatur, atq; diſſoluitur. Hic habitus & potentiæ capacis rationis diſcrimen aduerte. Potentia eſt indifferens, vt poſſit hac, illaue ratione formari. quare poteſt bonum, ac malum habitum induere. habitus verò non init contrarias rationes. quare non poſſunt ab eodem habitu bonæ, & malæ actiones ſimul proficiſci. Poſſumus tamen

men eodem habitu eas res contrarias accipere, quæ eadem ratione continentur. ſic eodem habitu ſcientiæ contraria cognoſcimus, velut eodem ſenſu candorem, nigroremq; percipimus: quorum vna eſt communis ratio coloris. Quamobrem potentia res quædam inchoata; habitus uerò perfecta quædam res eſt. Sed actionum, quibus comparatur habitus, vim & naturam doceamus.

De Actionibus. CAP. V.

Actio, uel actus philoſophis eſt tum forma, per quam res quæq; eſt, atq; cognoſcitur, græcè ἐντελέχεια, tum (vt hoc verbo vtar) operatio, quæ à virtute formæ eſt, græcè ἐνέργεια: illum actum priorem vocant, hunc poſteriorem, qui illum priorem conſequitur. Inſuper operatio vel eſt animæ, vel corporis. Animæ eſt, cuius principium eſt ab anima. proinde vigere, ſentire, intelligere variæ ſunt animæ pro diuerſis eius potentijs actiones: quæ licet vnà cum corpore, vel in corpore, tamen quia nullo modo ſinè anima fiunt, animæ adſcribuntur. Corporis actio eſt ea, quæ à natura corporis oritur, qualis eſt ignis calefactio, & niuis refrigeratio. Deinde actiones quædam naturales ſunt, vt eæ, quæ ſolo inſtinctu naturæ, nulla mentis agitatione fiunt, quales ſunt elementorum, ſtirpium, animantium, atq; hominum eæ, quæ nullo intelligentiæ ductu, ſolo naturali impulſu erumpunt, vt nutritiones, accretiones, procreationes, atq; his ſimiles aliæ: quædam liberæ, ac voluntariæ; quæ non ſinè conſilio ſuſcipiuntur, vt opera mentis, & artis. Ad hæc actiones aliæ in ſuis principijs ſiſtunt, non extrà prodeunt, ſicuti cognitiones rerum, & voluntates, quas animus in ſe ipſo incluſas continet. quæ actiones ob ſuam præſtantiam com-

mune

mune nomen effecerunt proprium. aliæ foras prodeuntes rem aliquam extra ſua principia poſitã afficiunt, vt aratio, & ædificatio; quæ propriè factiones nominantur. Omnis autem actio ab aliqua potentia eſt. Cuius uerò potentiæ eſt actio, eiuſdem eſt habitus, qui ex conſimilium inter ſe actionum vſu & exercitatione conficitur. Sed uidendum eſt quo modo actiones, quæ ex habitu fiunt, ab his actionibus differant, è quibus habitus fit. Ac re quidem conueniunt; ratione uerò differunt. Nam iſtarum, quæ ex habitu ſunt, ratio perfecta & abſoluta eſt; ſiquidem habitus in aliqua abſolutione cõſiſtit; illæ, è quibus habitus eſt, perfectæ actionis formam non habent, quæ nulla dum ſunt certa & conſtante ratione firmatæ. Ideoq; iſtæ perfectiores, faciliores, promptiores, atq; iucundiores ſunt: quippe habitus benè conſtitutam naturam imitatur, cuius actiones voluptas conſequitur. Quamobrem non omnes actiones ſunt dignæ nomine perfectæ virtutis, niſi quæ ex habitu fiunt. Itaq; non eſt omnino iuſtus, qui rem aliquam iuſtam facit, niſi ſciens, volens, atq; ex habitu illam faciat: ſicuti non eſt grammaticus, qui latinè quicpiam loquitur, ni ex arte id loquatur. Hinc Ariſtoteli aliud eſt iuſtè facere, aliud iuſta facere: hoc enim tantùm rem ipſam, illud etiam rei denotat rationem. At quæres à me fortaſſe, an actiones, quæ bonum habitum faciunt, ſint habendæ etiam ipſæ bonæ? maximè: ſed quatenus potentiam ad recipiendum virtutis habitum rectè afficiunt. Nec actiones illæ, è quibus habitus conficitur, eodem modo, quo habitus, in noſtra manu ſunt. Etenim fas eſt nobis, cùm volumus, actiones illas ſuſcipere, atq; deponere: habitum verò exuere difficilimum eſt. Ceterùm laudabiles actiones ſunt, quæ ſecundum naturam fiunt; quæ contrà fiunt, vituperabiles. At hominis natura potiſſimè ratio eſt, quæ in homine maximè excellit, cuiq; partes omnes tanquam reginæ obſequuntur, & pa-

rent.

rent. Quare cum ratione conſentiens actio eſt bona,& prædicanda; mala verò eſt, & reprehendenda, cùm à ratione diſſentit. Decetq; habitum eſſe ſimilem actionum,quarum vim & naturam præfert, quam vſu contraxit. Sed ne diſputationis noſtræ fines aliò protrahamus, intelligentiæ virtutes ordine explicemus.

De Intelligentiæ virtutum diuiſione.

Cap. VI.

INtelligentiæ,ſiue intellectus, quia modò contemplator rerum eſt, modò actor, & factor, quatenus rationes tradit, quibus res agantur, & fiant, primùm tres laudabiles habitus ſunt,inſpectionis,prudentiæ,artis. ſiquidem prudentia eſt rerum agendarum, ars faciendarum recta ratio. Differre autem factionem ab actione iam conſtat. Hinc eruditi quidam viri tria genera doctrinarum effecerunt,inſpectiuum (vt ipſorum verbis vtar) quod ſolam cognitionem quærit; actiuum, quod in actione verſatur; factiuum, quod docet opera facere, quæ cerni,& tangi poſſunt. Cognitio, loquor de vera & perſpicua, vel eſt principiorum, vnde concluſiones deriuantur;vel concluſionum, quæ ex principijs ducuntur; vel principiorum, ſimul & concluſionum. Principiorum cognitio cùm peculiare nomen nullum haberet, potentiæ, in qua eſt, nomen apprehendit. itaq; intelligentia dicitur. Concluſionum cognitio propriè ſcientia nominatur; quæ eſt rerum, quæ certis exploratiſq; rationibus demonſtrantur. Quæ verò ſimul principia, concluſionesq; cognoſcit, ſapientiæ nomen obtinuit, omnium domina,& architectonica doctrinarum. Quinq; igitur virtutes intelligentiæ ſunt, intelligentia, ſcientia, ſapientia, prudentia, & ars. Opinio, quia dubia, & obſcura eſt, ſæ-

eſt, ſæpeq; animum fallit; ſagacitas quoque phantaſiæ quædam miniſtra & famula in iſtarum virtutum numero minimè ponuntur. Nec ſi quis error in artem, vel prudentiam incidere aliquando videtur, ex ipſarum natura virtutum is euenit, ſed ex rerum, quas verſant, conditione: quippe quæ ſpontè ex ſe ipſæ mutantur. At intelligentiam, ſcientiam, ſapientiam neq; ipſarum ratio, neq; rerum, quas tractant, conditio in errorem vllum prolabi ſinunt. neq; enim virtus errare animum patitur. Vnde ex diſſimili natura rerum, quas animus comprehendit, harum virtutum diſtinctio peti etiam poteſt. Nam res aut certæ & immutabiles ſunt, aut incertæ & mutabiles: illarum eſt intelligentia, ſcientia, ſapientia; iſtæ, ſi ſub noſtram facultatem cadunt, ad prudentiam, & artem pertinent; ſi ad naturales cauſas referuntur, opinionem tantummodò generant. Platonici tamen, qui virtutem duplicem fecerunt, alteram cognitionis, alteram appetitionis, illam cognitionis paulò aliter partiti ſunt. Cùm enim duas animi partes ſtatuiſſent, ſuperiorem, & inferiorem, mentem inquam, & rationem, hanc inueſtigantem, illam contemplantem veritatem, rationi ſcientiam, & prudentiam, mẽti ſapientiam tribuerunt. Artem omiſerunt; quæ nihilominùs inter virtutes ab alijs meritò cenſetur. Sed iſti potentiarum tantummodò ordinem aduerterunt, non etiam actionum, & rerum, quæ in actionem veniunt, rationes. Quinetiam opinionem, & ſagacitatem inter virtutes intelligentiæ annumerarunt: quas nos iuſtis de cauſis ex ipſarum numero exemimus. Quamobrem aptior, & abſolutior illa mihi videtur eſſe virtutum intelligentiæ diuiſio, quæ primò poſita eſt, in intelligentiam, ſcientiam, ſapientiam, prudentiam, & artem. De quibus ſingillatim dicemus.

De Intelligentia, ſeu Cognitione principiorum. Cap. VII.

ATq; in primis de intelligentia, ſeu cognitione principiorum. Principia, è quibus ratiocinationes ducuntur, ſunt quædam maximæ, ratæ, & enunciatæ ſententiæ, *κυρίαι* græcè, quæ in omni argumentatione dominantur; quæq; vi ſua mentis aſſenſionem ſinè vlla controuerſia captant. Hæ à nonnullis ob præſtantiam Dignitates appellantur; à nonnullis Maximæ propoſitiones, è quibus omnis vis argumētationis emanat; à nonnullis Cōmunes animi notiones, quoniam promiſcuè ab omnibus percipiuntur. Licetq; alia ſit euidentiæ, alia dignitatis ratio; nam hæc potiùs nobilitatem rei, quàm perſpicuitatem, contrà, illa potiùs perſpicuitatem, quàm nobilitatem ſpectat; tamen propoſitiones maximæ tū ex ſe perſpicuæ ſunt, tùm in argumentationibus ſummum dignitatis gradum tenent. Rectè igitur maximæ propoſitiones, è quibus omnis ſcientia proficiſcitur, principia nuncupātur, ideſt, fundamenta, quibus omnes animi ratiocinationes nituntur. Quæ ſanè principia, tanquam luminoſa corpora, clara, & illuſtria, naturali quodam intelligentiæ lumine illuſtrata vi ſua ſunt nobis perſpicua. Quòd verò principia quædam eſſe oporteat argumentationum per ſe clara, & euidentia, & quæ nullam ſui fidem & probationem ab alio poſtulent, ex hoc liquet, quòd nullus vnquam foret ratiocinationis terminus, ſi fides principiorum ſemper eſſet aliunde petenda. Principia per ſe nota & manifeſta ſunt, quæ nimirū ex aliorum fide non pendent, ſed ex ſe abſque vlla argumentatione menti patent: quorum quippe voces vbi cognitæ ſunt, ſtatim quoq; intellecta vis eſt. vt, omne totum eſt maius ſua parte,

parte, ἀξίωμα eſt: quod mens ipſa,poſtquàm totius & partis voces percepit, ſubitò probat. Vnde principiorum habitus vnus ex omnibus virtutis habitibus naturalis & innatus eſſe videtur contra illud,quod ſuprà poſitum eſt, nimirum virtutem non eſſe naturalem. Verùm ſi noſter animus tabellæ aſſimilatur, in qua nihil ſcriptum eſt, ſed posſunt quæuis literæ inſcribi, quia nullam ex ſe habens, nihilominus poteſt omnium rerum notiones recipere, certè notiones vocum, è quibus principia conſtant,non quidem à natura inſculptæ, ſed aliquo ſtudio comparatæ ſunt. ni fortè velis dicere non omnem virtutem non eſſe naturalem, ſed tantummodò moralem. Iam verò principia quædam communia ſunt, quædam cuiuſq; doctrinæ & ſcientiæ propria. Commune enunciatum illud eſt, Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia: hoc verò Geometriæ proprium, Si ab æqualibus lineis æquales demas, quæ remanent ſunt æquales. Atq; illa principia communia vel ad omnem cognitionem pertinent; cuiuſmodi ſunt duo iſta proloquia,quorum alterum ait,alterum negat; videlicet (vt apud logicos eſt) De quolibet affirmare,vel negare verū eſt; &,De nullo verum eſt affirmare, vel negare: vel ad plures ſcientias accōmodantur,vt illæ ſunt mathematicorum ratæ ſententiæ,Omne totum eſt maius ſua parte;&,Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia. quæ non quidem omnibus, ſed pluribus argumentationibus aptæ ſunt. Quæ verò vnius ſcientiæ propria ſunt enunciata, multis in eadem ſciētia ratiocinationibus eſſe vſui poſſunt: vt, Eſſe motum eſt philoſophiæ naturalis præcipuū axioma, ad multas eius partes probandas accommodatum. Huiuſmodi propoſitiones multæ in ſingulis mathematicis diſciplinis reperiuntur. Sed & propria doctrinarum principia communibus ſuſtentantur: nec communium eſt vnquam vllus vſus, ni cùm ad certam ſcientiam referuntur. Nam il-

la, cùm ſola ſunt, res nulla conſequitur. Et quamuis in argumentationibus non ſemper proponantur, tamen ad illorum adminicula ſemper omnis argumentatio adnititur. Atq; vt principes illæ & efficientes cauſæ, nempe ſol, cæli, mentesq; diuinæ, quas intelligentias vocant, ſinè proximis rerum ſingularum cauſis nihil omnino generant; ſic communes propoſitiones ſinè proprijs nihil efficiunt. At quando, aut quo modo ad quamq; ſcientiam applicentur, docent ij, qui diſſerendi artem profitentur. Poſt hæc dicendum de ſcientia eſt.

De Scientia. Cap. VIII.

Scientiæ ſignificatio latè manat ad omnem cuiuſuis rei cognitionem ſiue apertam, ſiue obſcuram. Quodpropter Philoponi, Themiſtijq; ſententia philoſophorum princeps Ariſtoteles, operariam (vt ſic μηχανικὴν appellem) artem vocauit rerum, quæ ſenſibus tenentur, ſcientiam. Ac certæ cognitionis plura ſunt genera. Nam quæ ſenſibus patent, ea ſunt in medio poſita & manifeſta. Deinde rerum, quæ plerunq; ſolent euenire, dum explorata cauſa eſt, conſtans in animo cognitio fit, vt certum eſt hyeme in cælo nubes & imbres cogi, licet aliquando ſerena tempeſtas exiſtat. Tum principia, è quibus pendent ratiocinationes, ab intelligentiæ lumine collucentia, clara & inſignia ſunt. Poſtremò rerum immutabilium ac neceſſariè demonſtratarum cognitio vera & firma ſcientia eſt. Quorum generum cognitionis duo illa priora carent nota virtutis. Nam ſenſus nullum habitum recipit: atqui virtus eſt habitus. & rerum, quæ ex aliquibus cauſis euenire interdum ſolent, cognitio propriè opinio nuncupatur: quam è virturum choro non iniuria ſuſtulimus. Verùm cognitio principiorum peculia-

peculiarem mentis habitum effecit; quem vocauimus intelligentiã: à quo differt habitus ſcientiæ, quam æternarum rerũ, & neceſſariè demonſtratarum cognitionem eſſe voluimus. Et quidem in omni ſcientia tum rem, tum percipiendæ rei viam inſpicimus. Sanè quæ in rerum natura nuſquam reperiũtur, ab omni ſcientia remota ſunt. Res autem vel ſingulares ſunt, vel vniuerſales: illæ concretæ & diſſolubiles, iſtæ ſimplices & æternæ: illæ ſenſus mouent, atq; opinionem tantùm ingerunt, iſtæ ſub intelligentiam cadunt, & claram ſcientiam creãt. At viam, qua in ſcientiam venimus, vel nobis intelligentiæ lux aperit, vel ipſa ratio perquirit: illam dignitatem, hanc ſcientiam nuncupamus. Sæpe etiam experientia multarum rerum naturas expiſcamur. Tamen ſcientia experientiæ præſtat, & vtriq; cognitio principiorum. Atq; equidem ſcientia multa cognomina diuerſis rationibus inuenit. Dicitur enim vera, cùm rei natura ab intelligentiæ notione non diſcrepat. quare ſcientiam Ariſtoteles interdum veritatem appellat. Neceſſaria verò dicitur, cùm æternarum & immutabilium rerum eſt. Certa à modo, quo comparatur. Nobilis à rerum nobilitate. Mirabilis à rerum ſecretioribus & abſtruſioribus cauſis. Honorabilis, quia per ſe ipſa expetitur; ac deinceps laudabilis. Poſtremò dicitur bona, non quia rerum bonarum tantùm, ſed quia mentis perfectiò eſt. ſiquidem malarum rerum cognitio etiam expetitur. Nec ſolùm vtile exiſtimamus rem malam cognoſcere, quam euitemus, verùm etiam neceſſarium. quanquàm rem malam velle vitium eſt. Alia quippe mentis in intelligendo, alia voluntatis in appetendo conditio eſt. Nam voluntas ad res ipſas fertur; intelligentia pro ſe tantùm rationes rerum concipit. Nec quicquam obſtat, quò minus vna ſcientia plura cognomenta è diuerſis rationibus trahat: & alia aliam nobilitate vincat, à qua vincatur perſpicuitate; ſicut Aſtrologia nobilior quidem,

ſed

Ariſt. 1. De Part. Animal.

ſed tamen obſcurior eſt, quàm Geometria. Semper autem optabilior eſt ea, quæ rerum eſt præſtabiliorum. Ac profectò rerum diuinarum vel modica notitia nos magis oblectat, quàm aliarum rerum permulta cognitio. Sed ne longiùs à propoſito euagemur; ſcientiam, quæ hoc proprio notata nomine eſt, definiamus. Scientia eſt rerum definitarum,& immutabilium ex proprijs cauſis accepta cognitio. Cognitio genus eſt plures intelligentiæ habitus complectens: quod deinde certis informatum differentijs peculiarem ſpeciem reddit. Differentiæ, quæ ſcientiam ab alijs cognitionis formis ſegregant, duæ potiſſimæ ſunt, rerum natura,& cognoſcendi modus. Neq; enim cuiuſuis rei cognitio ſcientia eſt, ſed definitæ,& immutabilis. Quarè ſingularum rerum, quæ infinitæ,& mutabiles ſunt, nulla poteſt eſſe ſcientia. Id quod Platonem impulit ad confingendas ideas, rerum inquam vniuerſales & communes formas, per ſe ipſas conſiſtentes, indiſſolubiles & æternas; vt nimirum ſcientiæ vim & rationem tueretur. Verùm Ariſtoteles doctiſſimè probat nullam rem vniuerſalem in rerum natura per ſe ipſam conſiſtere, ſed dumtaxat ſingularem. Eſt tamen rerum ſingularum, quæ eiuſdem ſunt ſpeciei, vniuerſalis quædam, communiſq; natura, quam intelligentia noſtra in ſingulis rebus aduertit, vbi ipſas corporeis conditionibus denudauit. Sic communis quædam omnium hominum natura intellecta eſt, quæ vna atq; eadem non numero, ſed ratione in omnibus hominibus ineſt. Huius communis naturæ cognitio definita & cõſtans ſcientia eſt;quia eſt rei certæ, & æternæ,quæ neq; aliter eſſe poteſt,quàm intelligitur,neq; aliter intelligi,quàm eſt. Quòd ſi rerum ſingularum vllam vnquam ſcientiã tenemus, illam non ab ipſarum rerũ ſingularum proprijs conditionibus,ſed à communibus rationibus accepimus. Propriè autem ſcientia eſt rerum,quæ ratione comprehenduntur. Iſtæ verò ſunt uniuer-

vniuerſales: quandoquidem ſingulares tantummodò ſub
ſenſum cadunt. Alterum, quòd ad ſcientiam quæritur,
eſt, vt rei cauſa percipiatur. Cùm enim rei cuiuſq; naturæ
ſuis principijs cauſiſq; nitatur, illa benè ſciri nequit, cuius
cauſæ benè perſpectæ exploratæq; nō ſunt: nec noſtra intel-
ligentia vnquam à rerum perueſtigatione deſiſtit, donec ip-
ſarum cauſas & principia deprehendit. Cauſas intellige
non ſolùm illas quatuor, quas phyſici tradunt, nimirum effi-
cientem, materiam, formam, & finem, ſed etiam rationes,
quæ rerum naturas oſtendunt. Equidem ſcientem vocamus
eum, qui docere nouit. Docere verò non poteſt, qui eius,
quod ſcit, rationem ignorat. Verùm enim cauſæ proximæ,
ac propriæ cognoſcendæ ſunt cuiuſq; naturæ, vt ſcientia,
non opinio generetur. Ex his, quæ dicta ſunt, nonnulli
ſcientiam ita quoq; definiunt, veram, & certam, atq; ex
proprijs cauſis partam cognitionem. Veritas errores, per-
ſpicuitas opinionem, cauſa cognitionem principiorũ è ſcien-
tiæ finibus excludit. At verò demonſtratio, græcè ἀπόδειξις,
ipſa eſt argumentatio, qua velut inſtrumento ſcientia con-
cluſiones ſuas efficit. Nec porrò ſcire idem eſt, quod per
demonſtrationem ſcire. Nam ſimpliciter ſcire eſt rem ani-
mo velut ante oculos poſitam nihil indagando planè cer-
nere: non ſecus atq; angeli naturas rerum apertè ſinè vlla
ratiocinatione conſpiciunt: nobis verò, qui ratiocinando
in rerum cognitionem deuenimus, opus eſt demonſtratio-
ne, quæ rationes explicet. Atq; hoc eſt per demonſtratio-
nem ſcire. Eſt autem demonſtratio argumentationis ge-
nus, quæ rem neceſſariè demonſtrat, dicta ob id effectrix,
parenſq; ſcientiæ. Cæterùm ad comparandam demonſtra-
tione ſcientiam tria neceſſaria eſſe tradunt. Primum eſt,
vt res vniuerſalis ſit; quoniam ſingularum, quæ innumeræ,
variæ, & multiplices ſunt, non habetur vlla certa cognitio.
Alterum, vt illi propriæ poteſtates inſint, quas ſcientia

per-

perſcrutetur. Tertium, vt iſtæ proprietates poſſint non obſcuris rationibus demonſtrari. Mox materia, circa quam ſcientia verſatur, & à qua nomen, ſpeciemq; ſortitur, eſt res ea, cuius vim, cauſas, & proprietates ſcientia inquirit. Sed hæc omnia docere ad logicum ſpectat.

De Opinione. Cap. VIIII.

NEc non etiam opinionis, licet in virtutum numero non habeatur, tum quia non eſt habitus, quippe quæ ſæpius ex vna tantùm cogitatione generatur, tum quia plerunq; animum fallit, tamen explicanda natura eſt, vt intelligatur quo pacto à ſcientia differat. Eſt quidem opinio tam ſingularum, & mutabilium rerum, quàm vniuerſarum, & immutabilium dubia & obſcura cognitio. Immutabilium & æternarum eſt, cùm illarum cauſas & rationes ignoramus. Mutabilium & caducarum cognitio dicitur à quibuſdam cogitatio in his, quæ ſenſus attulerunt, aliquid affirmans, aut negans. ſiquidem opinari videtur eſſe quoddam affirmare, aut negare. quæ opinio ſi partes propoſitionis benè coniungit, aut diuidit, eſt vera, ſin malè, eſt falſa. Dicitur etiam opinio ſententia, quia id quiſq; opinatur, quod ſentit. nec tantùm propria ratione opinio concipitur, verùm etiam aliena perſuaſione inſeritur. ſemper tamen dubia errat, quæ è vera in falſam, & è falſa in veram poteſt euadere. Atq; etiam licet vera ſit, & de his rebus, quæ neceſſariò ſunt, tamen inconſtans eſt, quia tantùm probabili aliqua coniectura ducitur, nulla certa, & explorata ratione firmatur. Itaq; multum à ſcientia diſtat, quæ immutabilis rei proprias cauſas & rationes aperiens, firmam mentis aſſenſionem captat. Illa quidem rerum immutabilium eſt, hæc rerum, quas variari contingit: illa demonſtratio-

ſtratione, hæc coniecturis continetur; illa ſemper vera, hæc ſæpius falſa apparet. Cæterùm opinationis tria genera faciunt. primum eſt rei, quæ generatur, & interit, neq; neceſſariò eſt: alterum rei, quæ neceſſariò quidem eſt, non tamen talis, qualis eſt, eſſe creditur: tertium rei, quæ licet neceſſariò ſit, & neceſſariò eſſe putetur, non tamen neceſſariè demonſtratur. Quorum primum illud genus in ſcientiam nunquam vertitur, quia res, quas verſat, mutabiles ſunt: alia duo conuerti poſſunt; quia res, quas tractant, neceſſariò ſunt, & poſſunt neceſſariè demonſtrari.

De Sapientia. Cap. X.

NEc ſapientiæ vnam ſignificationem eſſe putes. Nam quandoq; virtutem omnem intelligentiæ ſignificat; quandoq; cuiuſuis rei quamuis cognitionem. vnde literati homines vulgò ſapientes vocantur. quandoq; totius animi ſanitatem atq; perfectionem. Ex quo perfecti homines ſapientes dicuntur. Sed primùm omnium cuiuſuis artis præſtantiam ſignificauit: ſapienſq; artifex dictus eſt, qui quæ forent in arte recta, aut praua, diiudicaret. Sic Phidias & Apelles, cæteriq; in ſuis artificijs excellentes opifices ſapientes nuncupati ſunt. Nec non prudentia ſapientiæ nomen obtinuit; quia viuendi magiſtra eſſet. Et in negocijs ſolertes homines, ac rerum publicarum peritos adminiſtratores vulgò ſapientes vocamus. Ipſam quoq; ciuilem ſcientiam, tanquam omnium doctrinarum, & artium, quæ ad cultum vitæ neceſſariæ ſunt, architectonicam, hoc præcipuè nomine appellarunt. ex qua ſeptem illi totius græciæ ſapientes (vt Plutarchus ſcribit) hoc cognomen adepti ſunt, præter vnum Thaletem, qui à rerum naturalium inueſtigatione σοφὸς nominatus eſt. Nobis

hoc loco ſapientia eſt vna ex quinq; virtutibus intelligentiæ, quæ eorum, quæ effecta ſunt, cauſas inquirens, & diuinarnm atq; æternarum rerum qualitates contemplans, tum principiorum, tum concluſionum rationes percipit, caput, domina, & regina omnium ſcientiarum. Siquidem vniuerſa rerum principia conſiderat, & quid totum & pars, quid vnum & multa, quid idem ac diuerſum ſit docet, ſimileſq; rebus omnibus conuenientes proprietates: è quibus principia conſtituuntur, unde omnis cognitio & ſcientia deriuatur. Et communia quidem principia communibus argumentis confirmat; atq; interdum aliqua demonſtratione vtitur, cùm eius, quod eſt, vim & naturam oſtendit. At quomodo inquies principia, quæ non pendent aliunde, demonſtrat? non ſanè alijs principijs: ſed illorum authoritatem, ſi quis contra ipſam reſiſtat, apta aliqua ratione corroborat. Tum principiorum vim & facultatem exponit: quòd nimirum extrema, quòd ex ſe nota ſint: atq; huiuſmodi alia tradit. Adde quòd, ſi quas habent, cauſas euoluit. Nam cur totum ſua parte maius ſit, reddi ratio poteſt. Quòd ſi eius rei cognitio probatur, cuius cauſæ & principia docentur, profectò ſcientia, quæ principales cauſas docet, præclariſſima erit. Igitur metaphyſicem (ſic enim diuinam hanc ſcientiam appellant, quòd poſt phyſicam tradatur) ſumma rerum omnium initia perſpicientem ſummò in loco ponemus. Et quæ nam ſcientia eſt, quæ non permulta à metaphiſice mutuetur ad aſſequendas ſuas perceptiones non ſolùm accommodata, verùm etiam neceſſaria? aut quam vnquam cognitionem ſinè vnius & multorum, totius & partis, eiuſdem & diuerſi, atq; his ſimilium notione percipiemus? An non etiam ſubſtantiæ, & eorum, quæ ſubſtantiæ inſunt, vires, atq; proprietates omni doctrinæ cognitæ & perſpectæ eſſe debent? Poſtremò quantæ ipſi gratiæ habendæ ſunt, quæ cognitionis impedimenta ſuſtulit?

quan-

quandoquidem multitudinem naturarum in decem genera reduxit, atq; earum rationes diſtinxit, ita vt nec multitudo confuſionem pariat, nec confuſio ſcientiam in animo turbet: illarumq́; proprias poteſtates aduertit, ac notas quaſdam appoſuit, vt cuiuſq; naturam faciliùs inueniremus, & prudenter ab alijs ſeiungeremus. Quamobrem ſapientia non ſolùm principia vſurpans, ſed ex illis quoq; deducens concluſiones, & principiorum cognitione amplior, & concluſionum ſcientia nobilior eſt: quinetiam de vtraq; cognoſcit, & iudicat. Atq; Deum procreatarum rerum omnium principem cauſam, & diuinas mentes contemplans, meritò diuina & cœleſtis habetur; appellata ob id Theologia: & è ſummis ac primarijs rerum cauſis in proximarum, & ab illis effectarum rerum cognitionem deueniens, finitur non ſolùm diuinarum rerum, ſed etiam humanarum ſcientia. Ac quoniam ſapientis munus eſt res ad propoſitum finem aptè diſponere, quæ ad diuinam beatitudinem perceptiones ſcientiarum dirigit, metaphiſice optimo, ac maximo iure ſibi nomen vendicat ſapientiæ.

De Prudentia. CAP. XI.

SEd & prudentia interdum variè vſurpatur. Nam cuiuſuis rei cognitionem cum ingenij quadã ſolertia quandoque ſignificat vt Cicero, Qui acutiſſimè, inquit, & celerrimè poteſt & videre verũ, & explicare rationes, is prudentiſſimus & ſapientiſſimus ritè haberi ſolet: quãdoque ſolam expetendarum, & fugiendarum rerum ſcientiam; ſic Cicero, ſic poſt Ciceronem D. Auguſtinus prudẽtiam rerũ bonarum & malarũ cognitionẽ definit. Plato etiam prudẽtem eum eſſe ait, qui quod bonum eſt nouit: idemq́; prudentes eos vocat, qui quæ agenda, & dicẽda ſint ratione percipiunt.

Propriè tamen finitur rerum agẽdarum recta ratio. & quoniam ea; quæ porrò ſunt, videt, teſte Cicerone, eſt ex prouidendo appellata prudentia. Qua de cauſa diuinatio quædam dicitur: atq; prudentes ab Ariſtotele ἀληθεύοντες vocantur: cuius modi ſunt eruditi viri, & ſenes; quos longa rerum experientia peritos effecit. Prouidet ſanè prudentia ex præteritis futura, vt agendis rebus conſulat, quò benè ſuccedant. Hoc enim eſt prouidere, euentorum rationes ad res agendas applicare. Sed definitionis huius partes ſingulas diligenter accurateq; ſpectemus. Primùm rationem intellige non ipſam vim animi, qua ratiocinamur, ſed ipſius rationis vſum; nec ſuperioris, quæ ſola rerum inſpectione contenta eſt, ſed inferioris rationis, quæ aliquid machinatur & agit. Cumq; vtriuſq; munus ſit res inter ſe ipſas conferre, & apertis obſcuras aſſequi, quod eſt veritatem inquirere & capere, tamen illa, quæ res ſub intelligentiam tantùm cadentes comprehendit, gaudet ſola contemplatione naturæ; hæc, quæ in actionem venientes res verſat, conſilia, hoc eſt, agendi, aut non agendi aliquid rationes excogitat. Ideoq; prudentiæ maximè proprium eſt conſilium: quippe quæ cum præteritis futura connectit, vt præſentia cautè, & rectè adminiſtret. Itaq; res tractans, quæ ſub actionem noſtram cadunt, non eſt in ea intelligentia, quæ tantummodò rerum cognitione contenta eſt, ſed in ea, quæ aliquid etiam agit. Quare à virtute morali hoc potiſſimè differt, quòd virtus moralis eſt appetitus moderatio; prudẽtia verò eſt intelligentiæ habitudo. Licetq; prudentia, & virtutes morales in eiſdẽ rebus verſentur, tamẽ diſſimili modo verſantur. Nam in iſtis prudentia veritatem quærit, quam intelligentia inſpectat; morales virtutes verò bonitatẽ, quam appetitus aſciſcit. Et quoniam ea, quæ in actione poſita ſunt, nõ ſemper vnius modi ſunt, neceſſariòve exiſtunt, ſed varium euentum habẽt, etiam à ſcientia differt, quæ neceſſariò exiſtentes res, immu-

De Leg. 1.

Rhetor. 2.

immutabilesq́; conſiderat. Quodpropter veritas, quam prudentia è rebus exigit, pro rebus variatur: veritas verò ſcientiæ ſimplex, & conſtans ſemper eſt. Ac prudentia non ſolùm vniuerſas rerum conditiones attendit, ſed ipſas communes rationes ad ſingulas actiones applicat, ac rerum agendarum peculiares quaſdam formas inſtituit, ab vniuerſalibus rerum conditionibus ad ſingulares actiones reuocante ſeipſam intelligentia. Voco autem ſingulares actiones non ſolùm vnius hominis, ſed totius familiæ, & ciuitatis: quæ nimirum certæ, & definitæ ſunt. Poſtremò recta dicitur, quia recto conſilio regit actiones, honeſtatem, quæ nobis in vita propoſita eſſe debet, ſemper inſpiciens. Honeſtum quid ſit ſuprà expoſuimus, bonum inquam, quod ſecundum rationem eſt. Nec immeritò rerum agendarum finis, quoniam appetitum ad ſequēdum, aut fugiendum aliquid ciet, mouens cauſa vocatur. Qualis autem quiſq; eſt, ac quomodo affectus, talem ſibi vitæ finem proponit: qui bonis quidem bonus eſt, & apparet; malis verò dumtaxat bonus apparet, cùm malus ſit, abhorrens à ratione: quorum videlicet animum ſuis voluptas illecebris corrupit. Iam vt prudentia morales virtutes, ſic ipſam prudentiam naturalis quædam ratio moderatur, quæ diuini luminis quædam participatio eſt, à theologis verbo græco nominata ſynderesis. Hæc nimirum agendarum rerum communia quædam principia ſancit: qualia ſunt iſta, Nulli eſſe malefaciedum; cuiq; ſuum eſſe reddendum: perindeq́; ſyndereſis prudentiam regit, vt intelligentia, ſeu principiorum cognitio ſcientiam. Prudentia igitur recta ratio eſt, tum quia rerum agendarum rectas vias oſtendit; tum quia eſt cum recta voluntate coniuncta: ſinè qua cæteræ quidem virtutes intelligentiæ ſuo quæq; in genere perfectæ eſſe poſſunt; prudentia eſſe non poteſt: ſed potiùs calliditas, aut aſtutia, aut verſutia eſt, quæ ad nocendum alijs apta conſilia

ſilia exquirit . ob quam regi Macedonum Philippo , & Annibali Carthaginenſium duci perfidiæ nota inuſta eſt. quanquàm propter vicinitatem quandoq; prudentia pro aſtutia, & aſtutia pro prudentia habetur. Sanctéq; nos Chriſtus admonet, vt prudentes ſimus, ſicut ſerpentes, & ſimplices,ſicut columbæ; nimirum vt ne cuiquam noceamus, atq; ab aliorum fraude nobis caueamus. Quamobrem ſi prudentia virtutes morales ad certam rationem dirigit,ac cuiuſq; actionis modum præſcribit,meritò virtutum omnium moralium regina,& parens eſt : nec inſcitè Plato ſæpe vno prudentiæ nomine omnem virtutem moralem amplectitur. Atq; vt ſapientia cognitionum,ſic prudentia actionum architectonica dicitur . quare interdum ſapientia nominatur, quòd humanas actiones ad laudabilem finem inſtituit.

De tribus Officijs Prudentiæ. CAP. XII

EST igitur earum rerum prudentia ,quæ ad vitæ finem pertinent. Finis totius vitæ vltimus eſt ipſa felicitas, & ſummum bonum; peculiaris verò finis eſt, quem aliqua actio ſpectat: qui & ipſe ad vltimum refertur. Et finis quidem ſemper certus,& fixus eſt : quæ verò finis cauſa ſunt, incerta, & indefinita ſunt propter rerum , perſonarum,locorum, temporum varietatem. Quarè finis in conſultationem non venit; ſed ea, quæ ad finem faciunt, deliberationem habent .Verùm exemplo res doceatur. Ciuilis vitæ finis eſt felicitas,quæ in virtutis actione conſiſtit cum rerum ad victũ, & cultum neceſſariarũ opportunitate, & copia. Quo de fine nulla vnquam accidit conſultatio; ſed de his quæri, & diſceptari ſolet, quæ ad conſequendam & conſeruandam felicitatem pertinent. Huius felicitatis compa-

comparandæ, aut conſeruandæ gratia interdum oritur de bello cum aliquo gerendo conſultatio. quod vbi decretum eſt capi oportere, tum alia quæſtio de adminiſtratione belli oritur. Itaq; quod in conſultationem antea vocabatur, id nunc finis in quæſtione de adminiſtratione belli eſt. Prudens vtrunq; finem proſpicit; & quæ vtriuſq; finis gratia facienda ſint ſolerter excogitat, ac graui iudicio ponderat. Atq; abſolutè prudens eſt, qui toti vitæ benè conſulit; aliqua verò ex parte prudens, qui in aliquibus rebus ſapit. Ac porrò officia prudentiæ tria potiſſimè ſunt, quæ eodem ſpectant, conſulere, iudicare, præcipere. Conſulere eſt ea perquirere, quæ ad conſequendum finem conferunt. quod ſinè ratiocinatione fieri nequit. Ideo prudentem eum appellare ſolemus, qui de rebus agendis benè ratiocinatur: eiuſq; familiaris eſt prudentia, cuius propria eſt ratio. Quamobrem finem animo antè capi oportet, quàm conſilia exquiri. Beſtiæ, quia nullum finem præſentiunt, neq; ea, quæ ad finem referuntur, intelligunt, vacant prudentia; tamen quia naturæ quodam ductu aliqua opera moliuntur, quæ à ratione proficiſci videntur, quandoq; prudentes vocantur. Alterum officium prudentiæ eſt (nam inuentionem iudicium ſequitur) excogitata conſilia diiudicare, ac rerum, & perſonarum attributa perpendere. Tertium munus, idemq; potiſſimum eſt præcipere, hoc eſt, iubere vt probata conſilia exequamur. Nec inficior voluntatis eſſe animi vires mouere, ſed mouendi modus, quem præceptio deſignat, ad rationem attinet. Ad quæ prudentiæ munera exercenda tres animi virtutes exiguntur, εὐβουλία, σύνεσις, & γνώμη. malo græcis verbis vti, quàm latinis, quæ nulla propria ſunt. Εὐβουλία eſt vis inueniendi quod bonum eſt conſilium. Bonum verò eſt, quod honeſtum eſt, & ad rem honeſtam tempeſtiuè adhibetur. Nam cùm aut praua cogitatio ſuſcipitur, aut indecora, & iniqua res proponitur,

tunc nullum verum conſilium eſt. Hoc ſimile eſt, ac ſi falſam concluſionem ex veris propoſitionibus, aut ex falſis propoſitionibus veram concluſionem efficias. Poſtremò niſi conſilio in tempore vtamur, nullum ex eo fructum capiemus. Tunc ſanè opportunum eſt, cùm nec citiùs, nec tardiùs, quàm res poſtulat, adhibetur. Idcirco autem Εὐβουλία temporis rationem maximè habet, quia tempus noſtras actiones tanquam mẽſura metitur. Σύνεσις ſagacitatem ſignificat verſantem circa ea, quæ ſunt ſubiecta prudentiæ. Eius munus eſt de inuentis conſilijs iudicare, apta ne, an inepta ad ea, quæ volumus, ſint. Iudicat autem ſingularum rerum proprijs rationibus. Verùm γνώμη communibus rerum agendarum rationibus, tanquam vniuerſalibus principijs, ſapientiam imitata de illis iudicat, aduertenſq; omnia, quæ perſonas, res, loca, & tempora circunſtant, corrigit ea, quæ præter conſulentis mentem euenire poſſent. Itaq; σύνεσιν emendans, ſenſus æqui & boni viri dicitur: quia æquitas & bonitas ius, quod ſcriptum eſt, temperat. Quare prudentiæ neceſſaria eſt circumſpectio, eorum ſcilicet, quæ rebus, & perſonis aſſignantur, accurata conſideratio. cui adiuncta eſt cautio, qua vitantur mala, quæ nos poſſunt in errorem aliquem boni ſpecie inducere. Nec mirum videri debet, ſi vna virtus inuentioni, duæ iudicio deſtinentur; quia in iudicando tum proprijs rerum, tum communibus rationibus vtimur. Ideo autem εὐβουλία, σύνεσις, γνώμη ſunt virtutes, quia inuentionem, iudiciumq; perficiunt. quanquàm ex ingenij bonitate multum virium accipiunt. Suntq; miniſtræ prudentiæ; cui deſeruiunt: ni ipſas prudentiæ vires eſſe dicamus. At verò contra hæc tria prudentiæ officia imprudentia tria è regione vitia opponit, contra inuentionem cogitationem præcipitem, contra iudicium inconſiderantiam, contra præceptionem inconſtantiam: quæ vno temeritatis nomine comprehendi

poſſunt

poſſunt. Præceps cogitatio mentem à vera inquiſitione abducit: inconſiderantia confundit ea, quæ diſtingui debent: inconſtantia id, quod aſſumendum eſt, repudians, à propoſito conſilio animum reuocat. quæ quidem inconſtantia licet ab appetitu naſcatur, tamen defectu rationis augetur. Nec minùs, quàm temeritas, eſt prudẽtiæ inimica voluptas; quæ rectam exiſtimationem, & rationem deprauat, dum æſtu ſuo totam animam abſorbet. Quocirca temperantia, quæ voluptatem refrenat, σωφροσύνη à græcis, id eſt, prudentiæ cuſtos nuncupata eſt. Igitur à prudente duo maximè vitia fugienda ſunt temeritas, & libido: adde etiam negligentiam; quæ bonæ conſiliorum inuentioni minimè hærens, dum multa facere omittit, multorum incommodorum, & malorum cauſa exiſtit. Atq; ingenioſè Homerus Palladem inducit ſuadentem Tytidi magno animo Martem, & Venerem enſe ferire, ſi glorioſam victoriam conſequi velit: & in Tytidis vertice lucentem flammam effingit, dum is Venerem, Martemq; debellat; quòd depulſa temeritate, & fugata voluptate prudentis ratio vigeat. Quibus verò rebus paretur prudentia docendum mox eſt. Ἰλιάδ. ε.

Quibus rebus paretur Prudentia.
CAP. XIII.

COmparatur autem (vt breuiter dicam) prudentia, ſicut excellentes res aliæ, natura, doctrina, vſu. In natura ſpectamus hæc, acumen ingenij, ſiue perſpicacitatem in inquirendo, iudicium acre in diſcernendo, memoriam ſtabilem in retinẽdo ea, quæ notata, & probata experientia ſunt. Quæ dona eſſe naturæ ex corporis, qua vigent, temperatione cognoſcimus. Nam pars corporis, in qua reſidet phantaſia, cuius eſt oblatarum ſibi à ſenſu com-

muni rerum formas effingere, ſi benè compacta eſt, ſolertes & ingenioſos homines facit: in qua verò ſenſus communis habitat, benè compoſita ſedes acres iudicio habet; cuius eſt rerum, quæ ſibi à ſenſibus offeruntur, proprietates diſcernere. Hinc aliquos ingenio magis, quàm iudicio, contrà, aliquos iudicio magis, quàm ingenio valere videmus. Eſt autem perſpicacitas, ſiue ſolertia, eius, quod deceat, ex viſa re aliqua coniectura: græci εὐστοχίαν vocant; quæ in ſubitis rebus potiſſimè cernitur. Hac qui pollet ad conſulendum aptiſſimus eſſe cenſetur. At iudicij bonitas in diſcernendo ſpectatur; græci σύνεσιν appellant: de qua ſuprà loquuti ſumus. Memoria verò tum à natura vim accipit; nam pars capitis, in qua locatur, quò ſiccior eſt, eò eſt ad conſeruandas ſpecies aptior; tum robur ex præceptis, & exercitatione, ſicut reliqua naturæ dona, acquirit. Memoria & experiētia iudicium perpoliunt: ſiquidem humanæ actiones cùm eodem modo non ſemper euadant, prudens non ſolùm communibus rationibus duci debet, ſed etiam experimentis, tanquàm ſingularum rerum teſtibus atq; magiſtris. Conſtat autem experimentum plurium, ſimiliumq; rerum memoria. Quamobrem prudentia dum ad res ſingulas ſeſe applicat, miniſtram adhibet cogitationem ortam ab interiore ſenſu, qui phantaſia dicitur. Præter iſta naturæ dona requiritur doctrina: quæ licet eas opportunitates non inſerat, quas natura ingenerat, tamen innatas facultates vel confirmat, vel auget. Ideoq; in eo, qui prudentiam comparare ex aliorum præceptis velit, docilitatem quoq; deſiderant ij, qui doceri virtutem affirmant. Et vt Platoni, qui contra Protagoram ſentit nullis neq; naturæ, neq; doctrinæ adiumentis virtutem acquiri, ſed diuina quadam ſorte donari, demus abſolutionem virtutis neq; à natura, neq; à doctrina eſſe; tamen & naturæ dona, & ſubſidia doctrinæ nemo vnquam, opinor, ad obtinendam vir-

tutis

tutis poſſeſſionem conferre negauerit. Non enim parum & proprijs experientijs, & aliorum documentis ad prudentiam erudimur; cùm actionum humanarum rationes, quæ permultas, magnaſq; varietates ſuſcipiunt, nec breui tempore cognoſci, neq; omnes vnius induſtria percipi poſſint. Poſtremò vſus, quem affert ætas, potior, quàm natura, & doctrina, eſt ad prudentiam: quæ temporis & experientiæ indiget, vt rerum agendarum rationes conſequatur; dicta ob id memoriæ, & experientiæ filia. Quocirca magis familiaris eſt ſenibus, quàm iuuenibus; qui quoniam minùs vixere, pauciores habent experientias: ne dicam quòd perturbationibus agitati maioribus nec verum facilè cernunt, nec conſtanter bonis conſilijs, & rebus inſiſtunt. In ſenibus & ſedatæ perturbationes, & ætas longior, & experientia diuturnior eſt. Itaq; ad comparandum vſum prudentiæ iuuat multis in negocijs tam publicis, quàm priuatis verſatum eſſe, ac varios euentus expertum fuiſſe. Plato etiam peregrinationes ad remp. benè gerendam accommodatiſſimas putat. qua laude ſuum Vlyſſem Homerus in primis commendat; quem canit multorum hominum mores, vrbeſq; vidiſſe. Quòd ſi quæras vtra plus valeat ad prudentiam, doctrina ne, an experientia! meo quidem iudicio plus experientia. Nam hæc ſingula conſpicit, illa dumtaxat vniuerſa; hæc propria, illa ſimilia; hanc raròo, illam ſæpe fallunt euenta. Ex his omnibus, quæ de prudentia dicta ſunt, quidam res octo colligunt ad illam comparandam neceſſarias, rationem, intelligentiam, ſolertiam, docilitatem, memoriam, circumſpectionem, cautionem, prouidentiam. Rationem dico rationis vſum. Eſt enim prudentis officium benè conſulere. conſulere verò eſt res inter ſe conferre. atqui hoc opus eſt rationis proprium. Verùm quia omnis ratiocinatio ab aliquo certo principio ducitur, etiam principij rectam exiſtimationem haberi oportet: quæ tum intel-

ligentia, quia principij cuiuſdam cognitio eſt; tum etiam
Ariſt. 6. Eth. ſenſus dicitur, quia rei ſingularis eſt: ſenſus inquam non exterior, ſed interior, quam cogitationem vocauimus. At ſolertia eſt celer rationis, qua aliquid agendum eſt, inuentio: docilitas diſcendi, percipiendiue facilitas: memoria rerum inuentarum, & experientijs comprobatarum cuſtos. Atq; hæ res quinque ad excogitandum valent; atq; ad prudentiæ præcipuum munus, quod conſulere eſſe diximus, ſpectant: tres reliquæ res ad iudicandum, & præcipiendum pertinent, circumſpectio inquam, quæ eſt rerum nos circunſtantium diligens animaduerſio; cautio, quæ eſt à malis cum ratione declinatio; prouidentia, quæ cuncta rectè digerit, omnium præſtantiſſima, & à qua prudentia nomen accepit. Nec inſcitè Cicero tria in vniuerſum prudentiæ adſcribit, memoriam præteritorum, cognitionem præſentium, prouidentiam futurorum; quoniam prudentia ex præteritarum rerum memoria prouidens futuras ritè præſentes adminiſtrat.

De Formis Prudentiæ. Cap. XIIII.

AD diſtinguendas verò formas prudentiæ repetere oportet quod ſuprà diximus, videlicet, prudentiam humana bona procurare. Bonum aut vnam perſonam, aut plures attingit. Ergo prudentia duplex eſt, propria, & communis. Mox communis vel rei familiaris eſt, οἰκονομικὴ græcè, vel ciuilis, πολιτικὴ. Oeconomica media eſt inter priuatã vnius, & ciuilem. Nam vt vnus homo pars familiæ, ſic vna familia pars ciuitatis eſt. Ciuilis rursũ duplex. vel enim ciuitatis vniuerſum bonum tuetur: quod maximè facit condendo leges, & ſanciendo pœnas & præmia; vel res ſingulas ciuitatis curat: illa legum prudentia nominatur,

hæc

hæc cùm proprio careret, nomine generis eſt appellata ciuilis. Atq; hæc vel controuerſiarum iudicia exercet, vel gerendarum rerum decreta facit. Ex quibus, quaſi fontibus, orta ſunt duo illa præcipua, & maxima cauſarum genera oratorum, iudiciale, quod in iudicijs, deliberatiuum, quod in concione verſatur. Quamobrem Ariſtoteles artem rhetoricam ciuilis facultatis propaginem appellauit. At legum prudentia tot in genera diuidi poteſt, quot ſunt rerump. formæ, penes quas eſt ferendarum legum authoritas. Formæ rerumpub. laudabiles tres ſunt, Monarchia, in qua vnus; Ariſtocratia, in qua optimates; Democratia, in qua populus remp. benè gubernat. In his aliqui militarem prudentiam ponunt, quæ totius ciuitatis vtilitatem ab hoſtilibus incommodis ſuo conſilio tegit atq; defendit: atq; vt animantes non ſolùm cupiditate ad appetenda vtilia, ſed etiam ad depellendas res aduerſas ira mouentur; ſic ciuitates non ſolùm prudentia legum ad comparandam ciuium felicitatem, ſed etiam militari ſcientia ad propulſandas inimicorum iniurias, & pericula inſtructæ & ornatæ eſſe debent. *Rhet. 1.*

De Arte. Cap. XV.

PRudentiæ vicina eſt ars: quam græci à ſolertia mentis τέχνην appellant. Cuius equidem plures notiones ſunt. Nam quandoq; rectam rationem, vt apud Horatium,

In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte. *In Poët.*

quandoq; prudentiam, vt apud Ouidium,

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.
Caſus ineſt illic, hic erit artis opus.

quandoq; animaduerſionem, vt apud Ciceronem, Totamq;

formam

formam reperietis perfectam arte, non vſu. quandoq; experientiam, vt arte pugnare. quandoq; viam, modum, inſtitutionem, doctrinam, diſciplinam ſignificat, quia certis præceptionibus conſtat. interdum quoq; aſtum & dolum, perinde vt græcorum τέχνη, ſic apud Virgilium,

Æne.2. ——— *Ille dolis inſtructus, & arte Pelaſga.*

& apud Terentium,

In Eunucho. *Tam ſcio hanc technam à Parmenone profectam, quàm me viuere.*

Philoſophis tamen ars propriè eſt rerum faciendarum recta ratio. Ac pleriq; artis nomen ἀπὸ τῆς ἀρετῆς græco verbo deducunt; & vtriq; voci tam græcæ, quàm latinæ omnem cognitionem, virtutem, atq; præſtantiam ſubijciunt: nonnulli ab arctando deriuant; quod ars multarum perceptionum collectio ſit. Eius definitiones à præſtantiſſimis ingenijs tres nobis traditæ ſunt. Prima à Cicerone, qui non dubiam, & apertam ſcientiam artis nomine appellat, Ars, inquiens, eſt earum rerum, quæ ſciuntur. Idemq; alibi, Ars eſt, quæ cognitis, penituſq; perſpectis, & in vnum exitum ſpectantibus, & nunquam fallentibus rebus continetur. A qua non diſſimilis eſt illa apud Lucianum, qua Simon quidam paraſiti artem aliquam eſſe probat ſic, σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ. Quæ definitio artes humanæ vitæ inutiles ex artis finibus repellit. Tertia definitio datur à philoſophis hæc, Ars eſt recta rerum faciendarum ratio. quæ vno tantum verbo à prudentiæ definitione diſiungitur. Nam illa rerum agendarum eſt, hæc faciendarum. Differt autem à factione actio. Nam actio in ipſo prudente conſiſtit; factio extra mentem artificis erumpit: illa nullum opus relinquit, quod aliquo ſenſu percipiatur; hæc opus ſtruit, quod cerni, & tangi poteſt. Idcirco Ariſtoteles artem vocauit operis rationem. Vnde ars materiam, & inſtrumenta ab alio mutuatur; prudentia in ſe omnia poſita habet. Itaq; actio ſe ipſa contenta

1. De Part. animal. ca.1.

tenta eſt; factio ſui foris petit extremum, atq; etiam opus ſuum aliò refert. Sic factionis finis aliud eſt à factione: non autem finis actionis aliud eſt ab actione. Tum actio ex delectu pendet voluntatis. quarè idem eſt quod eligitur, & agitur. factio ſolùm artis præcepta conſiderat, quæ intelligentia comprehenduntur. Atq; hinc eſt quòd in arte præſtat ſcienter, quàm inſcienter peccare. Non enim ad artis, operisque perfectionem voluntas bona, ſed ratio intelligens requiritur: quandoquidem artificioſarum rerum principia non voluntatis affectione, ſed conſiderata ratione continentur. Itaq; ars nihil ex ſe habet cum morali virtute commune: quanquàm iuſtitiæ præceptis regenda eſt, nè vnquàm vllo ſuo vitio ſocietatis humanæ ius violet. Dicitur autem ars recta, quia certa ratione conſiſtit. Hanc poſtremam, & artis propriam definitionem Cicero in Bruto pluribus explicuit, Ars inquiens eſt, quæ dat rationes certas, & præcepta faciendi aliquid: quæ habent ordinem, & quaſdam errare in faciendo non patientes vias. Nec ſuperuacaneum fore arbitror quo modo repertæ, ac partæ ſint artes breuiter indicare: id quod Ariſtoteles in Metaphyſicis docuit. *Metaph. 1.* Sanè vt animus ex indiuiduorum multorum ſimili animaduerſione vniuerſales quaſdam formas effinxit, ſic ex multarum rerum ſimili periclitatione communem quandam cognitionem accepit. Harum cognitionum, & comprehenſionum ordo artem compoſuit. Vnde Virgilius,

Vt varias vſus meditando extunderet artes. *Georgic. 1*

& rectè Polus experientiam dixit artem efficere, inexperientiam verò caſum. Ac quoniam experientia multarum rerum memoria conſtat, non abſurdè ars etiam orta ex memoria, & experientia eſt, perinde vt prudentia. Et experientia, quia rerum ſingularum eſt, arti præſtat in faciendo; contrà ars in cognoſcendo, quia cognitio vniuerſarum eſt.

Qua

Qua de cauſa expertum medicum ad medendum, ad docendum verò ſcientem adhibemus. Nec eodem tempore inuenta, & perfecta eſt ars, ſed dies incrementum attulit, prioribus cognitionibus, & comprehenſionibus alijs deinde adiectis. vnde noſtrorum temporum artifices ſuperioribus antecellunt. Sic omnium rerum principia parua primò extitere: tum alijs, atq; alijs factis progreſſionibus aucta ſunt. Profectoq; magnas gratias primis rerum inuentoribus habere debemus, qui rerum occultas naturas, & proprietates cogitatione & cura eruerunt; ob id in cœlum à veteribus illis fama, laudibuſq; ſublati. At inuentis addere facile, & cuiuslibet hominis fuit. Tandem à ſummis ingenijs perfectæ, & perpolitæ ſunt. Itaq; artem, quia perceptionum quædam collectio eſt, ab arctando dictam eſſe volunt. arctare enim eſt in vnum cogere. Quam etiam variè appellarunt, nunc modum & viam, quia ordine conſtat; nunc rationem, quia cognitiones habet; nunc doctrinam, quatenus ab alio traditur; nunc diſciplinam, quatenus ab alio percipitur; atq; etiam pro animaduerſione & experientia, à qua procreata eſt, vſurpauerunt. Et (vt de eius vtilitate pauca etiam dicamus) ars omnis vel ad vſum vitæ neceſſarium, vel ad oblectationem inuenta eſt: & tanquam comes, auxiliatrixq; naturæ ipſam imitatur, aut perficit. Imitatur quidem, cùm opera ſimilia effingit tum in comparāda quodam modo materia, tum maximè in formanda, vt pictura atq; ſculptura. perficit verò ſiue eius vires iuuando, vt medicina, & agricultura, ſiue fabricando ea, quæ in natura non extant, vt veſtes, domos, & huiuſmodi alia; ſed tamen conatur talia efficere, qualia fierent à natura. Sic artis auxilio noſtris manibus in rerum natura quaſi alteram naturam efficimus. Prætereà artes aliæ materiam parant, vt quæ lateres facit, aut quæ ligna incidit; aliæ formant, vt quæ domos, aut naues ædificat; aliæ formata vtuntur, vt nautica, quæ

ca, quæ nauim regit. Et ſecundæ nobiliores primis: tertiæ tanquam architectonicæ omnium præſtantiſſimæ ſunt. Adhæc artes liberales dicuntur, quæ ſunt homine ingenuo dignæ: contrà, illiberales, quæ ſordidæ. Belluæ quia res ſimiles aut diſſimiles, eaſdem aut contrarias inter ſe conferre ac comparare nequeunt, quia vacant ratione, nulla arte viuunt, ſola phantaſia, & memoria, eaq; imperfecta ducuntur, ac ſemper eodem modo ſe gerunt. quæ ſi vllo prudentiæ munere fungerentur, non ſemper eadem opera ſimili modo facerent. Quòd ſi nonnullæ ipſarum artificioſa quædam opera videntur efficere, non ſuo quidem illa ingenio faciunt, ſed diuinæ cuiuſdam vi mentis, omnia regentis atq; mouentis.

De Intelligentiæ virtutum inter ſe differentijs. CAP. XVI.

QVando ſingillatim expreſſimus vnamquanq; virtutem intelligentiæ, ipſarum quoq; inter ſe differentias aperiamus. Primùm aliquæ illarum ſola rerum vniuerſarum, & immutabilium contemplatione tenentur, vt intelligentia, ſapientia, ſcientia; quædam cognoſcendis rebus ſingulis, & mutabilibus occupantur, vt ars, & prudentia: quæ licet communes quaſdam rationes complectantur, tamen ipſas rationes ad res ſingulas, quæ agendæ, aut faciendæ ſunt, referunt. Illæ cognitionem ipſam tantummodò petunt; iſtæ præter cognitionem etiam actionem, aut factionem: illæ ſunt vera inueſtigantis; iſtæ etiam agentis aliquid, & molientis intelligentiæ habitus. Id vnum tamen omnium commune videmus, quòd earum omnium adeptio tempus, & experientiam exigit. Tum intelligentia à ſcientia differt, quòd intel-

ligētia principiorum eſt, è quibus concluſiones efficiuntur; ſciētia verò concluſionum, quæ è principijs pendent. At ſapientia vtriuſq; facultatem apprehendit, atq; omnium rerum principes cauſas venatur, ac res cæleſtes & diuinas intuetur. Itaq; diſparem ab vtraq; conditionem ſortitur. Adhæc prudentia diſtat ab intelligentia: quòd intelligentia vniuerſorum principiorum eſt, quæ vi ſua nota animo, & perſpicua ſunt, neq; vllius demonſtrationis egent; prudentia ſingulorum, quæ prima nobis occurrunt, quæ nimirum ad ſenſus magis accedunt. Prætereà inter prudentiam & ſcientiam hoc quoq; diſcrimen agnoſcimus; quòd prudentia eſt rerum ſingularum, & agendarum; ſcientia verò rerum vniuerſarum, quæ tantùm ratione & intelligentia comprehenduntur. Nec non inter prudentiam & ſapientiam eſt differentia: quoniam prudentia res ſingulas, variabiles, humanas, & quarum delectus aliquis habetur; ſapientia verò res vniuerſas, æternas, immortaleſq; conſiderat. Quæ de prudentia dicta ſunt, eadem ferè dici de arte poſſunt; cùm vtraq; ſit eiuſdem intelligentiæ habitus, & rerum ſingularum, atq; diſſolubilium: tamen inter ipſas quoq; hoc intereſt, quòd prudentia ſuarum actionum materiam ab alio non mutuatur, quam in ſe ipſa poſitam habet, affectiones inquam animi, ſiue commotiones; atq; ipſa ſe ad agendum applicat, nec foris quærit extremum, quòd in ipſo prudēte, non extra eſt; at ars materiam ſumit aliunde, atq; ab artifice, non à ſe ad opus appellitur, nihilq; præter abſoluti operis effectum curat. Adde quòd tritas in faciendo vias ſequitur. quarè nullam deliberationem ſuſcipit, niſi in his, quibus ignoratur quis exitus contingat: veluti medicina, & nauigatio de his ſæpe conſultant, quorum eſt obſcurus euentus. Atq; huiuſmodi artes, quæ coniecturis vtuntur, quoniam incertus eſt finis, στοχαστικαὶ appellantur. At prudentia, quia noſtrarum actionum rationes incertæ

ſunt,

ſunt, & indefinitæ, cauſas habet conſultationis; cùm præſertim & rebus, & perſonis multa accidant, quæ mutationem conſilij faciunt. Quamobrem nullus eſt prudentiæ locus in his, quæ artificio conſtant. Inſuper artis munus præcipuum eſt iudicare; prudentiæ verò præcipere; quod quidem in vſu recti conſilij cernitur. Ideoq; minùs reprehenditur artifex, qui ſcienter peccat in arte, quàm qui inſcienter: quoniam hoc mentis inopiam & iudicij coarguit. contrà prudens magis vituperatur, qui ſcienter, quàm qui inſcienter peccat; quoniam ab officio declinat. Etenim rerum artificioſarum principia non voluntatis delectu, ſed ſolùm mentis perceptionibus continentur. quare poteſt aliquis peritus artifex eſſe vir improbus: at prudēs eſſe prauus non poteſt; quoniam prudentia non ſolùm rationis ductum, ſed etiam voluntatis delectum ſequens cum morali virtute coniuncta eſt; cum qua arti nulla cognatio intercedit, niſi ad ſeruandam communionem vitæ, vt ne cui damno ſit. Quocirca in arte dumtaxat ignorantia; in prudentia etiam voluntas reprehenditur. Poſtremò ars poteſt aliqua obliuione obſcurari, ſi eius ſtudium remittatur; prudentia nulla poteſt obliuione deleri, quia ſemper eius vſus in vita eſt.

De Generali quadam doctrinarum, & artium diuiſione. CAP. XVII.

Lib. 2. cap. 18.

CVm autem virtutes omnes intelligentiæ vno ſcientiæ, aut artis nomine ſæpius appellentur, conſentaneum fore duxi generalem quandam doctrinarum omnium diuiſionem hoc poſtremo loco attexere: quæ ſi non lumen, at certè ornamentum aliquod his, quæ dicta ſunt, afferent. Nec me quiſquam reprehendat, ſi quandoq;

ſcientias dixerim: quòd me vti hoc numero plures diſſimilium rerum cognitiones cogunt. Et hoc quidem verbum ſcire notat eam animi actionem, qua rerum notiones comprehendit. Scientiæ verò, & artes ſunt viæ, quibus ad cognitionem rerum peruenitur. Atque in primis ſcientia vel clara eſt, cùm propriæ rerum cauſæ ſciuntur; vel obſcura, cùm cauſæ ignorantur. Tum alia aliæ præſtat vel rei, quam tractat, nobilitate; vel modo, quo illam tractat. Eſt enim res illa nobilior, quæ ſimplicior eſt, minuſq; concreta: cuiuſmodi ſunt res cæleſtes, atq; diuinæ. Modus autem docendi optimus is eſt, qui rem neceſſariè, hoc eſt, ſuis cauſis, rationibuſq; demonſtrat. Præterea vel eſt inuenta à nobis, quam ſcilicet per nos ipſi adepti ſumus, ex rebus nobis antè perſpectis earum fidem conſectantes, quas ignorabamus; vel accepta ex aliorum monumentis, & vocibus. Quæ duo ſcientiæ genera non rebus differunt, ſed vijs, modiſq; ſciendi. Nam qui ſuo (vt dici ſolet) marte aliquam ſcientiam inuenit, is quibuſdam notionibus antè perceptis, tanquam fundamentis, nititur: qui verò ab alio diſcit, ſæpe priùs cognitionem eorum accipit, quæ ſibi quidem obſcuriora, ſed natura notiora ſunt. Vocant philoſophi notiora natura, quæ vi ſua magis intelligentiæ, quàm ſenſibus patent: quia nimirũ ſunt à corporeis cõditionibus magis aliena. Demũ ſcientia vel ipſa rerum cognitione contenta eſt, vel ex ipſa cognitione actionem aliquam, aut factionem fingit. Itaq; ſcientiarum & artium tria potiſſimè genera facta ſunt: quorum primum (vt inquit F. Quintilianus) in inſpectione, id
Lib. 2. cap. 18.
eſt, cognitione & exiſtimatione rerum poſitum eſt, θεωρικὸν græci vocant; alterum in actione, πρακτικὸν, actionem exigẽs nihil tamen operis relinquens poſt actionem, quod cerni, aut tangi poſſit; tertium, in factione, ποιητικὸν, opus relinquens, quod ſub aliquem ſenſum cadit. Primi generis vnus tantùm finis eſt, cognitio, quæ per ſe ipſa expetitur: reliquorum,

rum, præter cognitionem eſt vel actio, vel factio; quarum gratia cognitio quæritur. Et quamuis eadem res vtriq; intelligentiæ, contemplanti inquam, & agenti obijciatur, tamen vtriuſq; diſpar eſt finis, & modus. Nam illa, quod ſæpe diximus, ſolam rei notionem & comprehenſionem ſatis ſibi eſſe putat; hæc ex rei notione aliquid machinatur & agit: tum illa vltimas, minimaſq; rerum cauſas indagat; hæc rerum notiones ad actiones ſingulas confert, ac quaſi ſtructuram quandam facit. Contemplatio rem ſequitur; actio rem præit, vt cauſa effectum: atq; agendi, faciendiq; principium in nobis eſt, ipſaſq; actiones & opera ad rationes illas exprimimus, quas mente concepimus. Quamobrem ſcientia, quæ propter ſe expetitur, nobilior videtur eſſe tum prudentia, quæ actionem, tum arte, quæ factionem parit: atq; illa in bonis eſt honorabilibus, iſtæ in bonis vtilibus. quanquàm iſtæ etiam propter cognitionem, quam poſſidet, quandoq; in bonorum honorabilium numero habentur. Tandem intelligẽtia, quam θεωρικὴν nuncupauimus, vel certa eſt, cùm rem planè cognoſcit, & firmè concipit. quod ſcire philoſophis eſt. vel dubia, cùm huc, illucq; varijs rationibus impellitur. quod opinari dicitur. Et ſcientia, quæ firma & ſtabilis permanet, vel rerum mathematicarum, vel phyſicarum, vel metaphyſicarum eſt. Atq; omnium miniſtræ quædam ſunt Grãmatica, Rhetorica, Dialectica. De quibus ſatis alibi diximus.

IO. ANTONII VIPERANI DE VIRTVTE LIBER III.

Quid eſt mos, CAP. I.

POſtquàm de his virtutibus dictum eſt, quæ intelligentiam perficiunt,& ornant,dicendum deinceps eſt de his, quæ affectiones animi, moreſq; componunt. Sed in primis exponendum arbitror quid mos ſit, à quo morales nominatæ ſunt. Mos latinum nomen res duas ſignificat, tum animi affectionem, ſiue ad rem aliquam propenſionem, quam græci ἦθος vocant, tum conſuetudinem, quam ijdem immutata tantùm litera ἔθος appellant. Vnde morale vtriuſq; vocis notionem comprehendit, conſuetudinis, & affectionis. Affectiones animi quædam à natura ſunt, quædam à conſuetudine & vſu. Itaq; mos & affectionem animi, & ipſius affectionis habitum ſignificat. Et naturales quidem affectiones vel à natura loci ingenerantur, ac terræ, & cæli regione, vel à corporis temperatione, vel à generis ſtirpe, vel à ſexu, vel ab ætate afferuntur. ſiquidem campeſtres homines mitiores ſunt, duriores montani; timidiores & callidiores, qui auſtri, contrà,ſimpliciores & audaciores, qui aquilonis partes incolunt. Tum acriores, in quibus bilis;

tardiores, in quibus pituita; hilariores, in quibus ſanguis; triſtiores, in quibus atra bilis redundat. Adhæc (quod in prouerbium penè abijt) Fortes creantur fortibus. atq; Ariſtoteles iram, medici etiam morbos à parentibus filijs inſeri, & tanquã hæreditariam quandam poſſeſſionem tradi docent. Præterea ſunt aliæ qualitates & affectiones viri, aliæ mulieris. AEtatum quoq; diſſimilia ſtudia diſſimiles mores indicant. Acquiſiti verò mores ſunt, qui conſuetudine contrahuntur. Conſuetudo autem eſt frequens earundem actionum vſus: quæ paulatim, ac penè clam, nihil nobis ſentientibus, obrepit, atq; in naturam euadit, vt difficilimè commutetur. Eſt tamen inter conſuetudinem & experientiam nonnihil diſcriminis: quoniam experientia eſt rerum, quæ extra nos ſunt; conſuetudo verò rerùm, quæ in nobis ſunt, nempè actionum, quarum modus ab animo petitur. Enimuerò animi facultates, quas ipſa natura componit, quæq; nullum ab vſu habitum recipiunt, nullam conſuetudinem poſcunt. Idcirco belluæ, quia ſolo naturæ impulſu feruntur, nunquam aliter aſſueſcunt, quàm à natura inſtitutæ ſunt. At facultates animi compotes rationis, quæ in varias partes flectuntur, in aliquo actionis genere vſu & exercitatione confirmentur oportet. Itaq; fas eſt homini aliter atq; aliter aſſueſcere, quia ſuarum actionum in ſe ipſo, non in naturæ ditione poſitam habet poteſtatem. Mos igitur non ad intelligentiam, ſed ad appetitum pertinet, atq; eum, qui capax eſt rationis. Neq; enim nos à ſcientia, vel à ſapientia, vel ab opinione, vel ab arte tales (vt Ariſtoteles inquit) boni ſcilicet, aut mali, ſed à qualitatibus appetitus modeſti, fortes, & iuſti dicimur, qui ad agendum conſilio & ratione ducimur. Ideoq; belluis nullos veros mores affingimus, ſed quaſdam humani animi morum imagines, vrbanitatis, ferocitatis, clementiæ, acerbitatis, fortitudinis, ignauiæ, metus, fidentiæ, iræ, prout certa quadam cogita-

Horat. 4. Carm. Od. 4.

In Polit.

gitatione & exiſtimatione ferri videntur. Quamobrem cùm moralem virtutem dico, appetitus, qui conſiliò regitur, laudabilem qualitatem vſu & conſuetudine confirmatam intelligo; cùm mos affectionẽ animi, conſuetudinemq; ſignificet. Idcirco virtutes intelligentiæ licet ſtudio comparentur, non tamen morales appellantur, quia nullam animi affectionem, propenſionemq; declarant.

De Virtutis moralis definitione.
Cap. II.

Poſtquàm expoſitum eſt quid ſit mos, euoluenda eſt definitio virtutis moralis, quæ eſt perfectio eius appetitus, penes quem eſt optio eorum, quæ mens ratioq; proponit. Quando autem appetitus commotiones intendi, ac remitti plùs, minuſuè poſſunt, quàm deceat, ſeruare oportet illarum mediocritatem, quam ratio deſignat. *Ethic. 2. cap. 2.* Itaq; moralem virtutem Ariſtoteles finit habitum quodam cum delectu tenentem affectionum animi, & actionum mediocritatem. Habitus eſt commune genus ad omnem virtutem pertinens; reliqua virtutem moralem deſcribunt, atq; àb intelligentiæ virtute ſeiungunt. Nam electio non eſt intelligentiæ, ſed eius animæ partis, quæ aliquid declinat, aut ſequitur. Mediocritas verò notat modum affectionum, quem recta ratiò, hoc eſt, prudentia conſtituit. Sanè in quibus eſt nimium, & parum, in his etiam eſt mediocritas. Atqui affectiones animi quandoq; concitatiores, quandoq; languidiores ſunt plus æquo. Debent igitur ad æqualitatem quandam reduci, ne quid metuamus, aut cupiamus plùs, vel minùs, quàm ratiò poſtulet. quanquàm nonnulli affectus, qui ſuapte natura praui ſunt, nullum omnino modum laudabilem recipiunt. Quis enim bonus

nus modus extat in malis? In ipſis quoq; virtutibus neq; nimium, neq; parum eſt: quia ſi in modo modũ alium requirimus, nunquàm vllum comparandæ virtutis terminum reperiemus. Sed ars quoq; medium, quod inter nimium & parum eſt, captat: quod rectè vocabis extremum; nempe quod in arte ſummum & perfectum eſt; cui videlicet nihil addi, nihil detrahi poteſt. Quòd ſi operis ſui abſolutionem ars quærit, multo ampliùs quæret virtus, quæ eſt arte præſtantior. Hunc porrò modum philoſophi medium appellant, quoniam eſt inter parum & nimium, quæ vocant extrema. Et quidem medium eſt multiplex. nam aliud ex extremis conſtat, vt rubor eſt medius quidam inter candorem & nigrorem color; quia ex vtroq; eſt: aliud eſt naturarum extremorum omnino expers, vt medium, quod inter ſanum & ægrum locant medici: aliud ab vtroq; extremo æqualiter diſtãs vel arithmetica, vel geometrica proportione. Medium arithmeticum aio, quod ab vtroq; extremo pari abeſt interuallo: vt ſex dicuntur media inter duo & decem arithmetica cõparatione; quoniam pari numero ab vtriſq; diſtant. Medium geometricum non idem interuallum, ſed ſimilem proportionem habet cum extremis: vt ſex ſunt media inter duo & nouem. nam quo modo vincunt duo, eodem modo ſuperantur à nouem, proportione videlicet ſexquialtera. Illud medium rem, hoc rationem reſpicit: illud ſemper eſt idem omnibus, hoc diuerſis rationibus immutatur. Tot modis cùm dicatur à philoſophis medium, huic vltimo geometrico ſimile videtur eſſe medium, quod virtus tenet. Non enim re, ſed ratione diſtinguitur: ac propter varias perſonarum, rerum, temporum, ac locorum circunſtantias varietates multas facit. Neq; idem omnibus, eodemq; loco, ac tempore conuenit. Cæterùm quod inter maius & minus eſt medium, id æquale eſt: verùm ſi cum eo conferatur, quod nimium eſt, minus; ſi cum eo,

quod parum eſt, maius eſſe cernetur. ſic fortis ſi cum timido comparetur, audax; ſi cum audace, timidus apparebit. Quamobrem extrema, quia longè inter ſe diſſimilia ſunt, magis ſecum ipſa pugnant, quàm cum medio, ad quod aliqua ſimilitudine accedunt: veluti audacia ſimilior eſt fortitudini, quàm timiditati. nam quatenus ſe periculis offert, fortitudinem imitatur; ſed quia temere id facit, hoc à fortitudine differt: verùm à timiditate, quæ omnia pericula refugit, eſt omni ex parte diſſimilis. Sic etiam prodigalitas cum liberalitate cognatione aliqua iungitur. nam vtraq; beneficentia gaudet: ſed eſt illa profuſior. at ab illiberalitate maximè diſſidet; quæ ab omni voluntate gratificandi abeſt. Præthereà extremorum alia magis, alia minùs contraria ſunt medijs: velut intemperantia magis, quàm ſtupiditas temperantiæ repugnat; & timiditas fortitudini magis, quàm audacia. Id duabus de cauſis euenit; vel quia res ita fert. nam ea, quæ ſimilitudinem aliquam habent, minùs inter ſe diſtare videntur. vel quia nos procliuiores ad id ſumus, quod à ratione magis eſt alienum. Vt verò ad mediocritatem animus reducatur, hæc potiſſimè à nobis obſeruanda ſunt. Primum eſt, vt ab eo, à quo ratio magis abhorret, magis nos remouere conemur: & quando modum, tanquam ſcopum attingere difficilimum eſt, è malis minimum eligamus. Alterum, vt in contrariam ab ea partem, ad quam appetitus impellit, enitamur; ſicut ij facere ſolent, qui obliqua ligna recta efficere volentes, in aduerſam illa partem inflectunt, donec ad rectam lineam dirigantur. Noſtram autem propenſionem è voluptate & dolore cognoſcimus, quæ in aliqua actione, vel commotione animi ſentimus. ſiquidem his rebus delectamur, quæ nobis intimæ ſunt, contrarijsq; dolemus. Tertium, vt ſummo ſtudio à voluptate caueamus, quæ plurimis nos dolis noctes ac dies petit, magisq; nobis inhærens & inſita eſt. Quamobrem

obrem ſi vnum tãtùm medium eſt, ac plura extrema, ipſaq; extrema multis,varijsq; interuallis à medio abſunt, non ſecus atq; vna eſt recta linea,nimirũ quæ breuiſſima eſt,obliquæ verò plures ſunt & infinitæ:ſiq; virtus ex multis rebus integris cohæret, prauitas verò ex cuiuſuis rei vitio accidit, profectò difficilius eſt virum bonũ, quàm malum euadere. Docteq; Pythagoras bonũ finitũ,malum infinitũ vocauit; & Poëta ille, Ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακοί. Ipſum quoq; in vita, ſicut in ſphæra, medium inuenire valdè operoſum eſt: faceſſitq; non paruum negocium ſimilitudo, quam vitium præfert, virtutis. Sed & humanarum rerum multiplices, variæq; conditiones, quæ nullis præceptis contineri queunt, maximas obſcuritates habent. Dare argentum facile eſt; ſed cui, quando,quantum, & vt oportet, difficile. Verumtamen (vt dici ſolet) difficilia, quæ pulcra. Hic exoritur non leuis fortè dubitatio, quomodo virtus vna duobus vitijs aduerſetur,cùm inter philoſophos conſtet rem vnam vni opponi! Quidam aiunt vitia rationem mali, virtutem verò rationem boni ſubire. itaq; virtutis probitatem cum vitiorum prauitate pugnare. Rectè etiam dixeris medium contrarias rationes ſuſcipere, cùm ad contraria extrema refertur: ſic colorem fuſcum, ſi cum candore comparetur,nigrum; ſi cum nigro, album; & fortitudinem obiectam timiditati, audaciam, audaciæ verò oppoſitam,timiditatem videri.

De Principijs humanarum actionum.

Cap. III.

AD exponendam moralis virtutis vniuerſam naturam declarandum arbitror quid ſit electio: quæ principium eſt humanarum actionum, quas vir-

tus moralis rectè, ordineq́; componit. Atq; principia electionis, rationem inquam, & appetitum, in primis contemplabimur. Dictum eſt autem ſuprà homini certas, variasq́; vires ineſſe, nẽpe vigendi, ſentiendi, intelligẽdi, & appetẽdi: atq; harũ quaſdã eſſe naturales, quæ ſolo instinctu naturæ, nullo noſtro conſilio reguntur; quaſdam liberas, quæ nimirum ſunt rationis capaces: & liberas habitu aliquo ad certa opera conformandas eſſe; naturales verò nullo habitu indigere, quippe quas ipſa natura inſtituit. Vnde in quibus nulla vis libera, vt in ſtirpibus, & belluis, in his neq; ſuarum operationum eſt vlla poteſtas. Quare magis ab alio, natura inquam, vel Deo, aguntur, quàm ſe ipſæ agunt. At nos quaſdam facultates habemus naturales, vt nutriendi, ac generandi, quas nullo noſtro arbitratu, ſolo naturæ impulſu exercemus; quaſdam liberas, vt rationem, & appetitum. Rationis verbum in ea pones intelligentia, quæ cognitionem cum actione coniungit. Eius duo munera cernimus. nam aut vniuerſales quaſdam rationes indagat; quas quæſtiones Rhetores conſultationes appellant, vt an ſit adminiſtranda reſp! an ſit ducenda vxor! aut de rebus, locis, perſonis, atq; temporibus definitis quærit, vt an à Catone ſit adminiſtranda reſp! an à Paulo ducenda vxor! an etiam hæc! an hoc tempore! an ex hoc loco! quas quæſtiones ijdem rhetores finitas nominant. Ac quouſq; animus in conſultatione, ſeu in infinita quæſtione verſatur, nunquam ſe ad agendum appellit. Vniuerſarum quippe rationum eſt cognitio, ſingularum actio. Appetitum verò eum intelligi volo, qui quoquo modo rationis eſt particeps. Humanæ igitur actiones dicuntur; quæ voluntariæ ſunt. Sunt autem voluntariæ, quæ non à naturalibus, ſed à liberis facultatibus intelligentia, & appetitu proficiſcuntur. Quæ principia mouentia vocantur, quia nos ad certum aliquem finem impellunt. Nam quæ agimus, alicuius rei cauſa agi-

ſa agimus, felicitatis inquam gratia. Itaq; ex electione is agit, qui quicpiam agendo, aliquid ſpectat. Is autem eſt homo, qui mente & conſilio vtitur, non brutum animal, quod nullam eorum, quæ facit, rationem concipit. Quamobrem omnis noſtra actio ex electione animi laudatur, aut reprehenditur. Igitur moralis virtus, quæ humanas actiones moderatur, ſinè electione non eſt.

De Conſultatione. CAP. IIII.

AT quoniam electionem conſultatio antecedit, priùs de conſultatione dicendum puto, quàm de electione. Conſultatio eſt inquiſitio. qui enim conſultat, quærit. Nec cuiuslibet rei inquiſitio eſt conſultatio. quippe latiùs patet inquiſitionis ſignificatio, quàm conſultationis. nam & mathematici quærunt, nec quicquam tamen deliberant. Nec deliberatio in hæc cadit, quæ aut ſenſu, aut ſcientia comprehenduntur: neq; in ea, quæ mutari nequeunt. Sed neq; de rebus certis, aut arte concluſis, aut modo aliquo definitis, aut præteritis, factisq; conſulimus. Quod enim factum eſt (vt ait Poëta comicus) infectum fieri non poteſt. Cùm verò F. Quintilianus inquit *Lib. 3.* etiam de præteritis deliberationem eſſe, opinor illum ſen- *cap. 8.* tire non res præteritas deliberari, ſed præteritarum rerum qualitates, & conditiones aliquas conſilio perpendi. Res quoq; æternæ, ac naturales, ſiue eodem ſe modo ſemper habeant, vt cælum, quod ſemper eadem conuerſione torquetur circa ſe ipſum, ſiue diuerſo modo, vt ex quatuor elementis procreationes rerum, & diſſolutiones, cum fortuitis, quæ à noſtra mente, ſcientia, & facultate abſunt, nullam vnquam deliberationem habent. Nec poſtremò ea, quæ fieri nequeunt, aut difficilia factu ſunt, conſultantur.

Nam

Rhet. 1. Nam difficile (vt Ariſtoteles, & Cicero aiunt) plerisq; ſæ-
In Partit. pe videtur eſſe ἀδύνατον. Ac quoniã in deliberatione de voluntate, non de neceſſitate agitur, non iniuria rhetores (vt *Lib. 3. ca. 8.* F. Quintilianus aſſerit) neceſſarium à conſilio remouerunt. Vnde qui in propoſita deliberatione videt aliquam neceſſi-
De Ora. 2. tatem, omnem conſultationem tollit. Sic Cicero, Incidi- tur, inquit, omnis deliberatio, ſi neceſſitas affertur: quam qui attulit, alijs non videntibus, is plurimum attulit. Verùm nonnulli duplicem faciunt neceſſitatem, alteram abſolutam, vt, moriendum eſt omnibus, alteram cum adiunctione, vt, neceſſe eſt Caſſilinenſes in poteſtatem Annibalis venire, ni malint mortem oppetere. Hanc neceſſitatem in deliberationem venire aiunt, priorem illam negant. Fit igitur deliberatio de rebus dubijs, agendisq́;, & quæ varios euentus habere poſſunt: nec in ea cognitio, ſed rei benè gerendæ ratio quæritur. Itaq; conſultatio, quæ inquiſitio eſt, non eſt ſcientia, quæ eſt inquiſitionis extremum. Tum ſcientia nullum in errorem inducit, conſultatio poteſt inducere. Sed neq; opinio eſt. nam opinio exiſtentis rei, conſultatio nondum conſtitutæ rei eſt. Quare conſultationem nondum eſſe enunciationem; opinionem verò aſſenſionem quandam eſſe Ariſtoteles ait. Nec prætereà conſultationem, quæ ſpacium ad cogitandum requirit, ſagacitatem eſſe dixeris, quæ breui momento coniectura cietur. quinetiam cùm anceps cura eſt ob obſcuritatem rei, ſocios ad deliberandum adhibemus. Ideoq; cum mora deliberandum eſt; ſed vbi conſulueris, mox facto opus. Verùm enim conſultandi nullus vnquam modus foret, ni deliberatio propoſitum aliquod haberet, quò ſua conſilia dirigeret. Oratori in deliberando propoſita eſt vtilitas. nam bonum, cuius gratia facit aliquid, idem eſſe putat, quod vtile. nobis, qui de virtute loquimur, conſultationis finis eſt honeſtas: quam ab vtilitate non ſeparamus; licet vulgus iſta diſiungat. Atq; ille

ille de actionibus diſſerit, quæ tantùm cernuntur; nos interiores ipſas animi commotiones, actionesq; componimus. Eſt igitur conſultationis finis honeſtum & vtile: ad quod aſſequendum certas, & aptas vias inueſtigamus. Quòd ſi tantùm vna via patebit, quæretur quo pacto ſit illa progrediendum: ſin plures, quænam ſit aptior. in vniuerſum omnia perſonarum, & rerum attributa ſunt accuratiſſimè perſpicienda. Ob hæc rhetores in deliberando duo capita faciunt, Fieri ne poſſit, & vtile ne ſit! Nec tantùm ſimpliciter quærunt vtile ne ſit! ſed etiam comparatè quid vtiliùs! Ipſa etiam contraria inter ſe opponunt, an plus commodi ſint, an incommodi coſequuturi! Ac ſuaſori vtrunque caput probandum eſſe aiunt; diſſuaſori verò ſatis eſſe alterum improbare. Tandem quæ de appetitione ſummi boni, ac mediorum ſuprà diximus, huc transferri commodè poſſunt. Nam de ſummo bono, quod voluntas neceſſariò amplectitur, nunquam deliberatio fit; ſed de his, quæ vltimi boni gratia facienda ſunt. vt, ciuilis hominis felicitas eſt ſinè morbo, & ægeſtate ſecundùm virtutem viuere. hanc felicitatem non poſſumus non expetere. quare nec de ipſa conſultamus; ſed de his ſuſcipimus deliberationem, quæ ad conſequendam felicitatem valent: vt, quo vitæ ſtudio teneri nos ad comparandam felicitatem oporteat! Atq; vbi certum aliquod ſtudium conſtitutum eſt, tum ipſum fit alterius conſultationis extremum: vt, quæ ratio in hoc vitæ genere inſtituenda ſit! Sic multæ ac variæ conſultationes fiunt. Atq; equidem conſilium res ea terminat, quæ prima in actionem venit. Extremum enim inuentionis initium eſt actionis. Ergo ante deliberationem intelligentia finem agnoſcit: ad quem voluntas mox fertur; ſimulq; intelligentiam appellit ad inueniendas rationes, quibus finem attingat. tum intelligentia varias rationes indagat. mox eas inter ſe confert: & ſi dumtaxat vnam rationem reperit, illius

ineun-

ineundæ modos inter ſe comparat. Atq; hoc propriè conſultare eſt, res inter ſe conferre atq; componere. Quod munus peculiare videtur eſſe rationis, & intelligentiæ. Ideoq; conſultationem tantùm habent, qui ratione vtuntur: cuius quia ſunt expertes belluæ, idcirco vacant conſultatione. Sed videre quæ è rebus inter ſe collatis ad id, quod ſpectamus, accommodatior ſit, iudicij eſt, ſiue ſententiæ: optare verò quod iudicium probat, electionis eſt. Itaq; conſultatio electione terminatur. Licetq; idem re ſint quod conſulitur, & quod eligitur, tamen differunt ea ratione, qua conſilium electionem antecedit.

De Electione. CAP. V.

CONſultationem igitur ſequitur electio: & quamuis conſultatio ſit opus intelligentiæ, tamen electio eſt motus voluntatis ad id optandum, quod præ cæteris legendum eſſe mens ſenſit. qui quidem motus, quatenus conſilio regitur, etiam prudentiæ adſcribitur. Recteq; finitur electio conſulta earum rerum, quæ à nobis fieri poſſunt, appetitio; ſiue intelligentia appetens, aut appetitus intelligens: in qua hæc duo præcipuè conſideramus, mentis conſilium, & voluntatis commotionem; è quibus, tanquam è forma & materia conſtat. Quòd ſi conſultatio non eſt de rebus tranſactis, ſed conſequentibus, atq; in noſtra facultate poſitis, earundem certè rerum erit electio. Cæterùm voluntas quædam dicitur θέλησις, ſummi boni, quod ad nullam conſultationem, & electionem pertinet. nemo enim conſultat, aut eligit eſſe beatus. quædam βούλησις, eorum, quæ ad ſummum referuntur. Hæc porrò in conſultatione verſantur; eaq; nobis vel aſſumere, vel reijcere integrum eſt. quod liberum arbitrium theologi vocant; liberam inquam

quam hoc, aut illud volendi, aut nolendi facultatem. Ac quidem amplior eſt voluntatis, quàm electionis vis. nam vt intelligẽtia ſæpe ea, quæ in rerum natura nulla ſunt, cogitat; ſic voluntas, quia libera eſt, quandoq; ea deſiderat, quorum potiundi nullam ſpem habet. at electio fit tantùm earum rerum, quæ obtineri poſſunt. Adhoc non eligimus niſi ea, quæ ad propoſitum finem aliquem pertinent: at volumus etiam finem ipſum. ideoq; plurium rerum inter ſe comparationem habet electio; atq; ex ipſis commodiſſimam eligit. Quamobrem appetitus, quem vocant ſenſitiuum, quoniam vno modo ſemper afficitur, caret electione: at voluntas licet vnum ſummum bonum expetat neceſſariò, tamen in ſingulis alijs bonis aut aſſumendis, aut repudiandis adhibet electionem. Ariſtoteles quoque probat electionem neq; opinionem, neq; cupiditatem, neq; iram eſſe. Quòd opinio non ſit, ita probat. Opinio eſt non ſolùm ſingularum, ſed etiam vniuerſarum rerum, æternarumq;, ac nihil ad noſtram facultatem attinentium; at electio eſt ſingularum, mutabilium, & quæ ſuſcipi à nobis poſſunt. Tum opinio eſt in ea intelligentia, quæ verum falſumq; diiudicat ſinè vlla declinatione, aut appetitione; verùm electio eſt in voluntate, quæ bonum, malumq; vitat, atq; perſequitur. Ideoque non dicimur ob opinionem quales, quia nullum affectum, ſiue ad rem aliquam commotionem habet; ſed ex electione dicimur quales, boni ſcilicet, aut mali, quoniam eſt voluntatis affectio. Præterea opinamur ſæpe incerta; eligimus verò quæ certa tenemus. Demum ſi opinio eſſet electio, id quiſq; eligeret, quod opinione concipit. at contrà ſæpe fit. nam opinamur res multas bonas eſſe, quas tamen minimè aſſumimus. Quòd verò non ſit cupiditas, his rationibus demonſtratur. Cupiditas eſt homini cum brutis animantibus communis; at electio propria hominis eſt. Inſuper cupiditas eſt πάθος animi;

electio non. Deinde voluptas non eſt voluptati contraria. quare ſi electio eſſet voluptas, voluptati non repugnaret. at in homine continente cum appetitu ratio decertat; & incontinens cupidè quid agit, non tamen conſultò & cogitatò. Quòd ſi electio non eſt cupiditas, multo minus erit ira, cum qua minorem, quam cum voluptate, cognationem habere videtur. Quid electio ſit, & quid non ſit, ſatis opinor explicuimius. Ergo actiones humanæ propriè dicuntur, quæ ſunt voluntariæ. Sunt autem voluntariæ, quæ ab electione proficiſcuntur. Et quidem electio, vtpote manans à ratione libera, meliùs animi mores, & qualitates indicat, quàm ipſæ actiones, quæ in aliorum conſpectum prodeunt: quandoquidem ſæpe fictæ, aut coactæ ſunt. Quamobrem ſi humanæ actiones ortum habent ab electione, & electio eſt à conſilio, & appetitu, erunt proculdubio noſtrarum actionum principia voluntas, & ratio. Quæ principia quia in nobis ſita ſunt, & actiones quoq; in noſtra poteſtate erunt. Ideoq; laudantur, aut vituperantur, quia noſtri iuris ſunt: ac ni voluntariæ eſſent immeritò legum latores malos pœnis, bonos præmijs affici ſtatuiſſent. Eſt autem bona electio, quam cum recta ratione honeſtus appetitus gignit. Itaq; moralis virtutis habitu ornata, & prudentiæ præceptis conformata laudatur. At verò nonnulli addubitant vtrum actiones, quæ ab habitu oriuntur, ſint liberæ, & voluntariæ! an tanquam naturales nullius noſtri iuris ampliùs ſint! Certè ſi habitus ex ijs actionibus componuntur, quæ in noſtra manu ſunt, cur ipſorum iure priuabimur? quanquàm non inficior haud æquè integrum nobis eſſe habitum deponere, atq; aſſumere: ſicuti non æquè facilè morbos depellimus, atq; contrahimus. Habitus enim quaſi naturales & ingeniti fiunt: ſed voluntarij etiam ſunt, cùm ſint noſtra ſponte ſuſcepti. Atq; vt de his morbis vituperamur, in quos noſtro vitio incidimus; ſic ob malos habitus

repre-

reprehendimur, quos ſponte ſuſcepimus. Quòd verò magis actiones, quàm habitus in noſtra ſint poteſtate, hinc perſpici poteſt, quia ſemper idem ius actionum à principio retinemus: habituum verò magis initia, quàm quæ poſt initia ſunt, in noſtra facultate ſita eſſe videntur.

De Voluntario, & Inuoluntario.
Cap. VI.

SEd de voluntario, & inuoluntario, quo ſub genere collocatur electio, pauca diſſeramus. Omnis enim electio eſt voluntaria; non contrà, omne voluntarium cum delectu eſt: cùm multa conſultò fiant, non tamen inuitè. Ipſum quoq; voluntarium ſpontaneo ſubijcitur. Spontaneum voco, quod ἑκούσιον græci; voluntarium, quòd βουλητὸν appellant. quanquàm latini vno voluntarij nomine vtrunque expreſſerunt ἑκούσιον & βουλητὸν. nos diſtinguendæ rei cauſa diuerſa nomina vſurpamus; nec ſpontanei vocem refugimus, licet inquinata cenſeatur. Et quidem ſpontaneum non ſolùm hominibus, ſed etiam pueris, belluiſquè conceditur; at voluntarium his dumtaxat datur, qui ratione vtuntur, ſcienteſq; quod in ſua poteſtate poſitum eſt agunt. Vt verò factum aliquod dicatur volunrarium, duo inſint oportet: alterum eſt, vt quid fiat, & cuius cauſa fiat, non ignoretur: alterum, vt eius principium in nobis ſit. At inuoluntarium horum alterum facit, aut ignorantia, aut violentia. Cognitio, quæ voluntarium facit, non eſt ea, quam ſolo ſenſu habemus mancam, & imperfectam, quam etiam belluæ capiunt; ſed quam intelligentia comprehendimus perfectam & abſolutam; qua inquam rerum agendarum conditiones omnes percipimus: cuius cognitionis expertes belluæ cùm ſint, priuantur voluntario mo-

tu. Per ignorantiam verò fit, quicquid inſcienter fit, & ſcitum poſteà diſplicet; alioquin ni diſpliceret, non foret inuoluntarium. nam approbatio à voluntate eſt. Ignorantia eſt duplex, altera ſimplex, & excuſationem aliquam habens; altera praua, & iuſta reprehenſione non vacans: quæ eſt eius rei, quam quiſpiam debet, & poteſt ſcire, neſcit tamen ſua culpa. Scire autem quiſq; poteſt, ac debet actionis, quàm eligit, naturam. Sed rerum, quæ actionem circunſtant, ignorantia ſimplex dicitur: cui par eſt veniam dari; quoniam fieri vix poteſt, vt vnus omnes pariter circunſtantias perſpiciat. Circunſtantiæ autem ſunt conditiones, quæ rem, & perſonam circunſtant; attributa Cicero vocat. Sunt autem iſtæ præcipuè, Quis, Quid, Vbi, Per quos, Quotiens, Cur, Quommodo, Quando. quarum potiſſimæ ſunt Quid, & Cur; materia inquam, & finis. Ignorantia ſimplex factum reddit inuoluntarium; non illa altera, quæ quaſi accerſita deinduſtria videtur. Vnde philoſophis aliud eſt ignorantem, aliud ob ignorantiam agere. Ignorans agit, qui ſuo vitio id, quod agit, ignorat. quodpropter omnis malus ignorans vocatur. ob ignorantiam verò agit, qui leui ignorantia decipitur vnius alicuius, aut plurium rei, perſonæue attributorum. Atq; huius facti ob ignorantiam duæ ſunt ſpecies. nam factum, vbi cognitum eſt, aut placet, aut diſplicet: ſi diſplicet, involuntarium fit; ſi placet, neq; inuoluntarium, quando animo arrideat, neq; voluntarium, cùm inſcienter admiſſum ſit, ſed, quia proprio caret, communi vocabulo non ſpontaneum dicitur. Hinc quæri ſolet an ea, quæ metu aliquo facimus, dicamur inuiti facere: quandoquidem nullo modo illa faceremus, ni metus vrgeret. Verùm ſi principium faciendi, & mouendi eas corporis partes, quæ ſunt quaſi inſtrumenta ad ſuſcipiendas huiuſmodi actiones, in noſtra poteſtate eſt; cuius autẽ principium in nobis eſt, id voluntarium eſt; certè voluntaria dicentur.

centur. Accedit quòd in his habetur temporis ratio; quæ propoſitum aliquod ſpectat. id autem eſt voluntarium. Præterea huiuſmodi actiones mixtæ, ſic dictæ, quoniam partim voluntariæ, partim inuoluntariæ ſunt, ſæpe laudantur, aut vituperantur. atqui nihil laudatur, aut vituperatur, quod à voluntate non prouenit. Itaq; rhetores in huiuſmodi actionibus duas quæſtiones faciunt, alteram de vtili; alteram de vtili, & honeſto. De vtili talis eſt, An commota in mari tempeſtate merces proijciendæ ſint, ne fiat naufragium! De vtili, & honeſto, An pro retinenda vita ſit aliquid committendum contra honeſtatem, aut decorum! Et quidem interdum ingentis boni ſpe contra perſonæ dignitatem aliquid perpeti non nimiùm reprehendi ſolet: verùm leui de cauſa quicpiam indignum ſe facere graui reprehenſione dignum eſt; nec vllius rei cauſa crimen vllum vnquàm patrandum eſt; nec vllo modo in vita peccandum, etiam ſi non peccanti propoſita mors ſit. In his porrò actionibus attributa rerum, & perſonarum multas, & magnas difficultates pariunt: quas videre præſtantis ingenij eſt: & conſtantis viri contra omnem animi perturbationem in eo, quod faciendum cognouerit, perſiſtere. Quod de metu, idem quæritur de voluptate, an inuitè fiant, quæ per voluptatem fiunt; cùm aliud mens, aliud appetitus velit! Verùm ſi ratio, & appetitus in noſtra poteſtate poſita principia ſunt, erunt proculdubio voluntaria quæcunq; ob voluptatem facimus. Deinde quæ inuitè geruntur, iniucunda ſunt animo; iucunda verò, quæ lubenter fiunt. Et ſi nobis liberum eſt tam turpia, quàm honeſta facere, profectò non inuiti ad agendum aliquid uoluptate inducimur. Eademq; de alijs perturbationibus animi dici poſſunt, quæ de metu, & uoluptate dicta ſunt. At affectus inquies iſti ſunt rationis expertes! ſed poſſunt ratione temperari. ob idq; humani appellantur, virtutis, vitijq; capaces, quia rationis impe-

imperio reguntur. Iam altera ſpecies inuoluntarij facti eſt eius, quod per vim fit. Vt verò aliquid per vim factum dicatur, atq; inuitum & coactum, hæc duo adſint neceſſe eſt, & cauſa extrinſecùs impellens, & eius, qui impellitur, repugnans animus: veluti ſi quis aliqua vi extrinſecùs illata cogatur ire quò nolit, erit iſta itio inuoluntaria. Hæc quia copioſiùs ab Ariſtotele diſſeruntur, à nobis preſſiùs diſputata ſunt.

De recta Ratione. CAP. VII.

Conſtat igitur actiones humanas eſſe eas, quæ voluntariæ ſunt: quas nimirum cum delectu, hoc eſt, ſcienter, & ſponte noſtra ſuſcipimus: verùm bonæ & laudabiles ſunt, quæ cum ratione conueniunt; contrà malæ & vituperabiles, quæ à ratione deſciſcunt. Oportet enim appetitum, qui ex ſe cæcus, & præceps fertur, ratione duci, quæ modum deſcribit, quem moralis virtus tenere debet, vt delectemur, aut doleamus quibus, quantum, quando, cuiuſq; cauſa oporteat. Hæc recta ratio ipſa prudẽtia eſt, quæ virtutem moralem informat. Itaq; in moralis uirtutis definitione poſita eſt prudentia, non tanquam pars, qua uirtus moralis cohæret, ſed tanquam princeps, & caput, quæ uim ſuam omnibus uirtutibus moralibus impertitur atq; diffundit. Itaq; nulla bona actio uacare prudentia & ratione poteſt; quæ ut domina quædã atq; regina ſuo cõſilio commotiones animi, & actiones regit, & ad certas uirtutis ſpecies effingit. Quapropter Socrates & Plato virtutes omnes morales, quas uno prudentiæ nomine appellabãt, ſcientias quaſdam eſſe dixerunt, quòd eas nihil aliud, quàm ipſaſmet animi rationes eſſe crederent. Contra quos Ariſtoteles diſputat, dicens, Socratem in eo peccare, quòd inquit

quit omnes uirtutes eſſe prudentias; in eo benè ſentire, quòd putat abſq; prudentia non eſſe. Non ſolùm enim ſecundùm rationem, ſed etiam cum ratione ſunt: alioquin ſi ſola cognitione conſiſterent, ſolis utiq; uerbis docti homines animorum ægritudines morboſq; curarent; & qui de uirtute ſubtiliùs diſputarent philoſophi, etiam uita & moribus meliores exiſterent. At ſatis non eſt ad benè uiuendum noſſe virtutis nomen, & definitionem, ſed oportet animum ad honeſtum habitum bonarum actionum exercitatione componere. Tunc certè ſola ſcientia ſatis ad ſtudioſè uiuendum per ſe ipſa foret, ſi appetitus in rationis dominatu vſquequaq; eſſet: uerùm rationi vſu & conſuetudine, ac ciuili quadam gubernatione, non tyrannicè ſubijcitur. Ex hoc etiam datur uirtutis moralis actionum, & artis operum diſcrimen agnoſcere: quòd artis opus in ſe ſuam habet abſolutionem, nullam artificis bonam mentem animumq; requirit; at uirtutis actio tribus rebus ſcientia, electione, habitu ſuſtinetur. Scientiam quidem exigit, ut ſecundum rationem inſtituatur; electionem, ut uoluntaria ſit; habitum, ut firmitatem, & æqualitatem teneat. Tum omnis actio formam ab animi cònſilio & propoſito, quod Theologi uocant intentionem,capit bonam,aut malam. ſiquidem uoluntas bonum aliquod appetit. id autem eſt finis. A fine itaq; cietur, & ad actionem aliquam impellitur, atq; etiam ipſa ad id, quod vult, alias animæ uires appellit. Quale igitur propoſitum, talis & uoluntas: qualis uoluntas, talis etiam eſt actio. Ergo actiones humanæ,& uoluntariæ ſpeciem ſortiuntur à fine. Vnde eadem actio diuerſis modis affici poteſt, ſi in diuerſos fines inſtituatur. Exempli cauſa, crimen eſt hominem ira, uel odio interficere; ſed iuſtitiæ ſeruandæ cauſa opus utile, ac ſæpe neceſſarium eſt reip. Finis autem humanarum actionum eſt (quod ſæpe diximus) honeſtas. Quapropter uirtutis actio non, ut opus artis, ſe

ipſa

ipſa contenta eſt,ſed ex agentis voluntate,& electione pendet. Hinc philoſophis aliud eſt iuſta agere, aliud iuſtè. Iuſta agit, qui debitas quidem res agit, ſed uel inſcienter, uel contra mentem, uel ſinè conſtantia: iuſtè uerò, qui ſciens, uolens, atq; conſtanter. Atq; ut is, qui nouo aliquo dicendi modo, uel figura communem locutionem inſcienter mutat, Quintiliani ſententia figuratè non loquitur, ſic rem ſtudioſam non agit, qui ſinè ratione, electione, habitu illam agit. Temere enim fit, quod ſinè conſilio fit. atqui uirtus cum ratione eſt. Electio quoq; bonam uoluntatem indicat, rectumq; propoſitum. Et habitus genus eſt, quod uirtutes omnes complectitur. Ex his etiam uides intelligentiæ uirtututis, moraliſq; diſcrimen. Hæc enim & facultatem, & uſum bonum facit, illa ſolam facultatem. Quarè licet illa nobilior ſit, quatenus præſtantiorem animæ partem afficit, hæc tamen eſt melior, à qua boni dicimur, quia uoluntas ipſa eſt, quæ bonum, ac malum amplectitur. Sed & quia cæteris animæ uiribus imperat, ideo moralis uirtus cõmune nomen effecit ſuum. Quæ, quoniam appetitus conſtans, & bona qualitas eſt, atq; electione, & recta ratione conſiſtit, non malè definita eſt habitus cum delectu tenens mediocritatem, quàm recta ratio præſcribit. Cumq; in omni actione hæc duo conſiderẽtur, propoſitum, & modus, ritè ipſius naturam abſoluunt electio, quæ propoſitum intuetur, & prudentia, quæ modum definit.

De moralium virtutum diuiſione.

Cap. VIII.

ET prudentia quidem rerum agendarum veras rationes; moralis virtus verò ipſarum uſum, fructumq; conſiderat. Quæ cùm ſtudeat appetitum rationi obtemperantem

reddere, pro diuerſis appetitus facultatibus in plures ſpecies diuiditur. Appetitus vel ratione ducitur, qui voluntas propriè nominatur; vel ſenſu mouetur, qui communiter appetitus dicitur. Atq; is duas partes habet, cupiditatem, & iram. Naturalem appetitum omiſi, quia nullius capax eſt rationis, ſinè qua nulla eſt virtus. Ergo alia virtus eſt, quæ voluntatem; alia, quæ cupiditatem; alia, quæ iram regit. Ac licet omnes virtutes ſint uoluntariæ, non ſunt tamen omnes habitus voluntatis: ſed ea nimirum ratione voluntariæ ſunt, qua partes omnes animæ voluntatis imperio ſubijciuntur. Primùm igitur tria virtutum moralium genera ſunt, iuſtitia, quæ voluntatis, fortitudo, quæ iræ, temperantia, quæ cupiditatis eſt habitus. Etenim vel animi affectus, græcè πάθος, vel rerum conditio in noſtris actionibus potiſſimè attenditur. Affectus in his præcipuè cernitur, in quibus noſtra dumtaxat, nulla aliorum ratio habetur: in quibus verò aliorum ratio habetur, in his rerum conditio ſpectatur. Atq; actio, quæ componit affectus, interiore ſenſu, ac ſtudio continetur; quæ verò aliorum dignitatem, aut utilitatem reſpicit, foras circa externa bona eminet: illa ex ſola affectionum moderatione, hæc etiam ex retributo alijs debito laudem acquirit. Quamuis enim multa ex animi commotionibus ſæpe oriantur, quæ alios attingant, tamen componendis affectionibus animus ſui, non aliorum reſpectum quærit; ni quem fortè aliquando iuſtitia quæri voluerit. Et affectionum quidem, quæ ex cupiditate, & ira naſcuntur, moderatio ad temperantiam, & fortitudinem; rerum verò inter ipſos homines adminiſtratio ad iuſtitiam pertinet. Quòd ſi rerum externarum adminiſtratio ad voluntatem pertinet, ad voluntatem quoq; iuſtitia referetur. Quamobrem omnis virtus & ſi alicuius actionis eſt parens, tamen uel circa affectus animi, vel circa actiones ipſas tanquam propriam materiam verſa-

tur. Cùm verò actionem omnem uoluptas, aut dolor comitetur, non malè Ariſtoteles virtutem moralem circa voluptates, & dolores verſari dixit, non vt ſubiectam materiam, ſed vt ea, quæ actionem conſequuntur. Cæterùm non tria, ſed quatuor genera moralium virtutum communiter omnes faciunt. Nam cũ iuſtitia, fortitudine, temperantia prudentiã recenſent. Nec omnino quidem abſurdè. Etenim prudentia quatenus eſt habitus intelligentiæ, cum intelligentiæ virtutibus annumeratur; ſed ratione rerum, in quibus vim, & operam ſuam exercet, in moralium virtutum numero ponitur: quippe quæ vniuerſales, & communes rationes ad res ſingulares applicat; modumq; actionum, & affectionum virtutibus moralibus præſcribit. Itaq; habitu à moralibus, actione à mẽtis virtutibus ſeiungitur. Præ tereà tanta eſt prudentiæ cum virtutibus moralibus conſpiratio atq; conſenſus, vt inter ſe nullo modo ſeparari queant. Quam uirtutum conexionem poſteà planiùs explicabimus.

De Iuſtitia. CAP. IX.

INter virtutes morales iuſtitia maximè excellit, tum quia nobiliorem animi partem, nempe voluntatem inſtituit, tum quia maioris boni, videlicet communis vtilitatis eſt procuratrix. Eſt verò iuſtitia virtus moralis, quia voluntas appetitus quidam eſt, cuius propenſiones, & declinationes vocauimus mores. Ac quando voluntas eſt quædam vis animæ nulli ſubiecta dominationi naturæ, nulliq; actioni mancipata, ſed res diuerſas pro arbitratu ſuo appetens, certa aliqua ratione inſtituenda eſt, vt certum aliquod bonum ſinè errore ſequatur. Et quidem ſi vnum tantùm bonum eſſet, aut vnus appetendi modus, nullum habitum præter naturalem facultatem, pulſumq; deſideraret:

ret: ſed quoniam plura ſunt genera bonorum, diuerſæq; illorum aſſequendorum viæ, vt ad conſtitutum aliquod bonum promptiùs, faciliuſq; feratur, certo habitu conformetur oportet. Neq; enim voluntas ad appetendum, quod ſibi bonum eſt, vllius præceptis eget; ſed æqualitatis in vita ſeruandæ cauſa, & vt alijs proſit, ac nullius commodis officiat, decet eam alicuius virtutis præceptis inſtitui. Hæc autem eſt iuſtitia: quæ etiam inferiorem appetitum res externas appetentem, vt ſuperior, moderatur, & regit: quandoquidem volũtas in omnes animæ partes imperium tenet. Cunq; aliæ virtutes proprium bonũ ſpectent, iuſtitia etiam alienum curat. Inſuper iuſtitia, quia bonum tum commune, tum proprium curat, in communem, priuatamq; diuiditur. Finitur autem ab Ariſtotele habitus, quo volumus, & facimus res iuſtas. Non enim ex eo, quia ſcimus quid iuſtum ſit, iuſti ſumus, ſed quia quod æquum eſt facimus. Ideoq; iuſtitia circa actiones præcipuè uerſatur. Adhæc iuſtitia, quæ communi bono ſtudet, latiſſimè ſe diffundens omnes virtutes complectitur: quarum omnium munera ad ciuilem felicitatem refert: licetq; vna ſit re, tamen virtute multiplex eſt. quare iuſtitia vocatur vniuerſa virtus. Sed & aliud iuſtitiæ, aliud perfectionis nomen, quæ etiam tota virtus vocatur, ſignificare videtur. Nam perfectio dumtaxat animi rectam compoſitionem deſignat: iuſtitia verò communionem vitæ reſpicit. quanquàm interdum hominis perfectio translatione quadam nominari iuſtitia ſolet, prout quis ſibi ipſi iuſtus eſſe dicitur. Nec ſi probitas in omnium uirtutum copulatione conſiſtit, prauitas quoq; omnium vitiorum congregatione cohæret. Nam virtutes maxima inter ſe cognatione tenentur; vitia verò multis, varijſq; modis inter ſe ipſa diſſentiunt. Quamobrem communis, ciuiliſq; iuſtitia, quia omnium virtutum ornamenſis decoratur, pulcherrima eſt; & quia omnium

rationes continet, perfectiſſima: ſed etiam difficilima, quia ſeruare cum alio æquitatem maximè arduum eſt. Ex quo dici ſolet, Magiſtratus uirum oſtendit: quippe qui aliorum ſtudet vtilitati. Quæ communis iuſtitia cùm ad conſeruandam communem vtilitatem, & ſocietatem quid faciendum, quid negligendum ſit legibus ſancit, legalis appellatur, vnam præ ſe ferens formam atq; naturam imperantis in rege, obſequentis in ſubdito; ſed virtute multiplex & varia eſt. Nam iubet pro cuiuſq; virtutis præceptis viuere. Itaq; virtutes omnes ad tuendam ciuium felicitatem rationis imperio dirigit. Quarè iuſtitia communis atq; legalis re omnis virtus eſt, ratione tamen à ſingulis diuerſa: neq; ineptè quælibet virtus vocatur iuſtitia, & vitium iniuſtitia; & iuſtus bonorum operum artifex; & iuſtitiam exercere eſt bona opera facere, legibuſq; parere. Cæterùm iuſtitia, quæ vniuerſæ iuſtitiæ tanquam pars quædam eſt, non ad vniuerſam ciuitatem, ſed ad ſingulos pertinentia bona procurat: nec circa res omnes ſtudioſas, quas leges & iura præſcribunt, ſed circa ea bona verſatur, quæ fortunæ attribuuntur, quæq; diſtribui, ac permutari æquè, & iniquè poſſunt.

De Iure. Cap. X.

APpellatur autem iuſtitia græcè δικαιοσύνη, quaſi δικαίου σύνεσις: quæ vox iuſti ſcientiam ſonat; quia rem iuſtam non agit, qui ignarus eſt eius, quod agit: δίκαιον verò, quaſi δίχαιον χ in κ verſo, apud nos in æquas partes diuisũ ſignificat; & δικαστὴς, quaſi διχαστὴς, diuiſorem: ni ἀπὸ τῆς δίκης dictũ exiſtimes. Δίκη autem iudicij Dea eſt. At Plato δίκαιον quaſi διαϊὸν explicat, quod permeans interpretamur; vt ſit mens ipſa diuina vadens per omnia, mundi

mundi vniuerſitatem adminiſtrans. Sed latinum nomen iuſtitiam placet nonnullis per literarum mutationem tanquam viſtitiam dici, quòd vim ſiſtat. Hinc in ſummo ſceptri (eſt autem ſceptrum inſigne regium, nota iuſtitiæ, ſicut haſta eſt inſigne fortitudinis) Ciconiam auem iuſtitiæ ſacram; in imo verò Hippotamum affinxerunt, animal improbiſſimum; vt violentiam iuſtitia frenari docerent. Ac iuſtitiam aliqui à iure, contrà aliqui ius, à iuſtitia trahunt. Id fit, quia variè ius exponunt. Nam qui ius idem eſſe volunt, quod δικαιοπράγμα, hoc eſt, iuſtè factum, hi iuſtitiam eſſe regulam quandam aiunt; ius verò ad hanc regulam directum & conformatum facinus. His igitur iuſti uis amplior eſt, quàm iuris: nec ius uocant, niſi quod ſponte, ac ſcienter fit; iuſtum uerò, etiam quod inſcienter. Verùm qui ius quaſi iuſſum exprimunt, nempe aliquid faciendi, aut non faciendi generale ſiue legis, ſiue naturæ præſcriptum, ij iuſtum à iure deriuant. Itaq; iuſtum, quia ius cuſtodit; & iuſtum facinus appellant, quod ſecundum ius fit; iuſtitiam verò habitum animi, quo res agimus ex iure: ius verò finiunt, quod vel natura, nimirum ratio, uel lex nobis faciendum, aut non faciendum eſſe præfinit. Ergo nomen iuris quandoq; rem iuſtam; quandoq; rationis, aut legis iuſſum ſignificat; ac quandoq; etiam iuris ſcientiam, prout cognitio quædam eſt; quandoq; prudentiam, prout in actione verſatur; quandoq; boni & æqui artem propter actionum, quas continet, rationes; quandoq; locum ipſum deſignat, in quo ius fit. Sed & aliter philoſophi, aliter legum periti ius diuidunt. Nam philoſophi primò ius omne, quod inter homines eſt, ciuile appellant, πολιτικὸν græcè: quandoquidem homo eſt animal naturaliter appetens hominum ſocietatis & iunctionis. quod ius deinde in naturale, & legitimum ſecant. Ius naturale vocant, quod ab ipſa natura hauſimus, non ex alicuius inſtitutione accepimus. ideoq;

vim

vim habet eandem ubiq;, & immutabilem; atq; omnibus æquum & bonum eſt. Legitimum uerò, quod ab hominibus conſtituitur. quod quidem priuſquàm ſanciatur, nullum momentum habet, nihilq́; refert hoc, an illo modo inſtituatur: ſed ubi ſancitum eſt, tenendum omnino eſt. Ducitur autem ius legitimum à naturali. Lex eſt naturalis ratio: ratio uerò diuinæ legis quædam effigies, quid ſequendum, quid fugiendum ſit oſtendens. Cui quod repugnat ius, iniuria nominatur. Non enim uis legum in verbis, ſed in ratione conſiſtit. Quocirca ius naturale à diuina & naturali lege poſſet etiam legitimum appellari: ſed nos legitimum præcipuè nuncupare conſueuimus, quod principes legibus edicunt. Tum naturale ius ſemper ipſam æquitatem ſpectat: legitimum verò etiam vitæ vtilitates & commoda. Illud ſemper idem, & immutabile manet: quia æquitatis ratio ſtabilis, & immutabilis, ſemperq́; ſibi ſimilis eſt, quam ſimiliter, omnium mentes intelligunt: hoc ad locorum varietates, temporum commutationes, ingeniorum diſſimilitudines pro communi vtilitate accommodatur. Sed licet varietur, ſemper tamen cum æquitate conſentit, ad cuius formam effingitur. Hinc ius in immutabile, & mutabile etiam ſecant. Rurſumq́; in ſcriptum, & non ſcriptum. Ius legitimum eſt, quod legibus præſcribitur: naturale, quod in hominum animis à natura inſeritur, non literarum notis in tabulis exaratur. At legum periti ius in naturale, gentium, & ciuile diſtribuunt, magis verbis, quàm ſententijs à philoſophis differentes. Naturale vocant, quod non ſolùm hominibus, ſed etiam omnibus animantibus natura ingenerat, vt tuitionem ſui, maris fœminæq́; cõiunctionem: ius verò gentium, quod hominibus tantummodò cõſignat. Illi enim vim duplicẽ aduertentes in homine, alteram cum reliquis animantibus communem, qua ſcilicet animans eſt; alteram propriam, qua videlicet ſapit, atq; intelligit; ius,

ius, quod ad omnes animantes æquè pertinet, naturale; quod verò natura ſolis hominibus dedit, ius gentium vocant. Ciuile autem, quod cuiq; ciuitati vtile eſt. Verùm philoſophi ciuilis ſignificationem latiùs dilatantes, tanquam vniuerſus terrarum orbis vna quaſi vrbs cunctorum hominum foret, atq; homini cum humano genere tanquam populare ius quoddam intercederet, omne ius tam legitimum, quàm naturale ciuile vocarunt. Et quia videbant iuſtitiam nihil ad belluas pertinere, quæ nec ad ſocietatem natæ, nec ratione præditæ ſunt, qua ſocietas continetur, ius inter ſolos homines poſuerunt: qui ex omnibus animantibus ſoli rationem habent, & vitæ communitatem amant. Idq; naturale appellarunt, quòd omnibus hominibus à natura ingenitum eſſet. Vt igitur vtrorumq; ſententias inter ſe componamus, quod legum doctores in naturale, & gentium ius diſtinxerunt, nos uno naturali nomine complectemur: quodq; illi ciuile, nos legitimum appellabimus.

De Æquitate & bonitate.

CAP. XI.

CVm verò res, de quibus leges conduntur, incertæ ſint, atq; infinitæ, ac plura negocia, quàm vocabula, & perſonarum, locorum, temporum diſcrimina multas varietates pariant, fieri non poteſt, vt cuncta prouideantur, & de ſingulis leges ferantur; ſed de his, quæ plerunq; eueniunt: nec illarum ſingulas, ſed communes quaſdam rationes iura proſpiciunt. Neq; hoc legum vitio, ſed noſtrarum rerum conditione & natura, quæ variæ ac multiplices ſunt, contingere putandum eſt, ſi interdum aliqua præſcribenda leges omiſerint. Accedit etiam quòd

legum verba ſæpè in diuerſas ſentẽtias trahi poſſunt: quandoq; etiam leges inter ſe pugnare videntur, cùm alia iubet aliquid faciendum, alia vetat. cuius pugnæ cauſa non in legum conſilio, ſed in rerum multitudine, ac varijs euentibus eſt. Vnde apud rhetores ortæ ſunt quæſtiones legales, in quibus de voluntate legum latorum diſputatur. In his quidem ea, quæ legum latores non definierunt, vel quia minimè potuerint propter rerum multiplicitatem, & obſcuritatem, vel quia noluerint, quòd aperta & intellectu facilia putauerint, ab oratore prudenter ſuggerenda ſunt: tollenda etiam verborum ambiguitas, & repugnantia. quod faciet legum latoris mentem explicando. Non enim verba legis, ſed rationem ſequi decet: nec non in legem is committit, qui verba legis amplexus, contra legis volũtatem nititur. Pertinent autem legis temperatio & interpretatio ad eum, ad quem ſpectat promulgatio. Quæ legis temperatio latinè æquitas (quanquàm interdum hoc nomen ius omne deſignat) quoniam res ad æqualitatem reuocat; græcè ἐπιείκεια dicta eſt, quaſi iuſtitiæ & bonitati de ſuo iure facilè cedens. Εἰκὸς enim tum eſt id, quod ſequitur quocũque torqueas; tum id, quod honeſtati & rationi conſentit. Hoc nomen græcum latini duobus verbis, vel vno ex duobus integris compoſito expreſſerunt, nimirum æquo & bono: illud æqualitatem, hoc facilitatem indicat. ob quam facilitatem Lesbiæ regulæ aſſimilatur, quæ facilè quocunq; volebas flectebatur. Vnde facilitate quandoq; pro æquitate vtimur. Eſt autem æquitatis & bonitatis munus ad conſeruandam legum latorum voluntatem, & tuendam publicam vtilitatem leges benigniùs interpretari, & in mitiorem partem iura deducere, ac de ſummo iure aliquid remittere. Quamobrem hæc virtus benigna, & liberalis dicitur; quoniam plura condonat, quàm legis verba concedunt. Benignus enim eſt, qui facilis & indulgens eſt, ſuaq́;

libera-

liberaliter largitur. Qui verò nimis callidè & malitioſè iura exponunt, ac voluntatem legum relinquentes, verba ſtrictiùs perſequuntur, ἀκριβοδίκαιοι nuncupantur. Ex quo prouerbium natum eſt, Summum ius ſumma iniuria. AEquitas igitur, ſiue æquitas & bonitas, aut ciuilis æquitas (eadem eſt enim vis omnium, & ſententia) nullo quidem ſcripto continetur, ſed iuri ſcripto deſeruit, aut corrigendo quod rerum vitio delictum eſt, aut explicando quod dubium eſt propter verborum ambiguitatem, vel euentuum varietatem. Quod cùm facit, licet à verbis recedat, tamen legum ſententiam & voluntatem ſequitur: nihilq́; à recta mente, & ratione deflectit. Quapropter ius naturale, & æquitas hoc conueniunt, quòd vtrumq; ratione ducitur; ſed forma & definitione differunt. Nec ſi pro ſua manſuetudine ciuilis æquitas in leniorem partem, ſicut Terentianus Mitio, facta ſæpius transfert, non etiam aliquando, ſi res ita poſtulet, duriorem ſe præbet, quàm leges ſinere videtur. Nam dum iuris habenas tractat, quandoq; illas remittit, quandoq; adducit, prout naturalis ratio imperat: tamen cùm legum ſeueritatem manſuetudinis ſuæ mitigat condimentis, vt humaniùs agens ad virtutem homines faciliùs alliciat, bonitas appellatur. Igitur æquitas & bonitas non eſt quidem uniuerſa iuſtitia, ſed iuſtitiæ quædam forma cõſeruans quibuſdam in rebus æqualitatem: & aliqua iuſtitia potior, nimirùm ea, quæ ſcriptis legibus commendatur; quoniam ſcripti iuris moderationem & correctionem adhibet. Ideoq; εὐνομοσύν à quibuſdam appellatur, quia legum opera prudenter exequitur. At verò Clememtia plus habet lenitatis, quàm æquitas; & mitiorem in animaduertendo ſe gerit. Neq; enim ſolum crimina leuiùs punit, ſed in illis etiam ignoſcit. Quare plus quàm æquitas de iuris ſeueritate remittit. Hæc virtus verè heroica, & diuina eſt: qua ad Deum maximè accedimus; quem potiſſimè à boni-

tate & miſericordia prædicamus. Clementiæ crudelitas opponitur, beſtiarum propria; & ad quam tyranni & barbari præcipites animo ſunt. Ac certè clementia his peculiaris eſſe debet, penes quos eſt legum, ac rerum poteſtas. Nulli tamen nocere debet; alioquin laudabilis non foret. Itaq; in primis ſuas non alienas cõdonabit iniurias. id quod etiam ſacræ literæ commonent, Non miſereberis in iudicio pauperis. AEquam enim teneri lancem oportet, ne cui fiat iniuria. Idcirco rhetores apud iudices, qui aliorum iniuriarum æſtimatores conſtituti ſunt, negãt vllum eſſe locum deprecationi, qua facti veniam deprecamur. Tum videat ne ſua benignitas ad peccandum alios inuitet. Inſuper eius facti pœnam prætermittet, cui plus imprudẽtiæ ineſt, quàm improbitatis; quæq; nullam vnquam alijs peccandi anſam præbitura ſit. Præterea magis opportuna clementia eſt in ancipite, & periculoſo, quàm in pacato, & tranquillo tempore: magis quoq; inter hoſtes, quàm inter ſuos decora; quòd maiorem animi placabilitatem, & magnitudinem inter illos præferat; atq; auerſos à ſe animos in ſe quadam cum admiratione conuertat. Poſtremò non popularem auram, ſed virtutis ſpeciem ſequi debet.

De Iuſtitia, quæ eſt pars totius moralis Virtutis. CAP. XII.

IVſtitia igitur legalis omnium virtutum adiumentis ad vniuerſos ciues pertinentia bona procurat: at quæ ſingulorum inter ſe res, & vtilitates conſeruat, ſingularis quædam virtus eſt, vna ex moralibus, quæ generali iuſtitia tanquam pars toto cõtinetur: appellaturq; iuſtitia, quia res ad æqualitatem reuocat. Reuocat autem ad æqualitatem res, non quidem omnes, ſed quæ in plures partes æ-

quales

quales & inæquales diuidi poſſunt. Rectéq; finitur ius ſuum cuiq; tribuens virtus: vel conſtans & perpetua ius ſuum cuiq; tribuendi voluntas. Nam iuſtitia non eſt intelligentiæ, ſed voluntatis affectio: ac conſtans eſt, quoniam habitus eſt, ſemper idem, & ſibi ſimilis; quippe in eodem propoſito conſtanter ſe habet, & idem perpetuò vult. Itaq; nullum verbum redundat in definitione. quod vitioſum eſſet. Nec moderandis animi perturbationibus, è quarum temperatione reliquæ virtutes morales certam formã ſortiuntur, ſed componendis actionibus operam ſuam nauat, atq; ijs actionibus, quæ circa bona externa, eáq; pluribus communia verſantur: vnde formam, & nomen trahit. Idq; curat, vt cuiq; quod ſuum eſt, quod inquam cuiq; peræqua proportione debetur, tribuatur. Quarè inter eos eſt, qui eadem externa bona participant: ac rerum quandam menſuram conſiderat. At reliquæ virtutes morales non rerum menſuram, ſed affectionum modum attendunt. Sed dices fortè non ne omnis virtus moralis id ſpectat, quod inter duo extrema medium ratio conſtituit! Sic eſt; ſed hoc medium à ratione conſtitutum tanquàm regulam ad comparandas inter ſe res admouet. Itaq; ex præſcripto rationis res inter ſe comparat; & naturali iure innixa rerum æquam proportionem deprehendit. Adde quòd extrema, inter quæ iuſtitia medium ſtatuit, ambo vitioſa non ſunt. tantùm enim ratione, non etiam re inter ſe diſcrepant: ſiquidem in alio plus capiendi, in alio minus habẽdi ratio eſt. Proinde bonorum plus capere, quàm deceat, vitium eſt; at minus accipere, quàm æquum ſit, abeſt à vitio. Cæterùm quod minus eſt malum rationem boni ſubit; quatenus optabilius eſt, quàm maius malum. Atqui extrema, inter quæ medium reliquarum virtutum moralium eſt, ambo vituperantur, quoniam inter ſe diuerſas, & à recta ratione deſciſcentes actiones habent. Equidem alia timidi, alia eſt

audacis actio, & re, & ratione diſſimilis. Hæc ſingularis iuſtitia in diſtribuentem, & permutantem diuiditur. Diſtribuens res communes inter ſocios partitur; permutans ſingulorum inter ſe bona permutat: & vtraq; rerum æquam proportionem quærit; ſed altera geometricam, altera arithmeticam. Et quanquàm eadem materies vtriq; ſubiecta eſt, tamen vtriuſq; actiones diuerſæ ſunt, ſicut diſtributio à permutatione diſtinguitur: ac permutans iuſtitia res aduertit, diſtribuens verò perſonas. De quibus ordine dicemus.

De Iuſtitia Diſtribuente. CAP. XIII.

IVſtitia, quæ inter alios communia bona partitur, non tam pretia rerum, quàm perſonas hominum aduertit: ſtudetq; pro cuiuſq; dignitate rerum tributionem æquabilem efficere. Duo igitur potiſſimè obſeruat, & bona, quæ diuidenda ſunt, & homines, quibus illa ſunt diuidenda: bona inquam non animi, nec corporis, ſed fortunæ; in quibus ſunt pecuniæ, dignitates, honores, & his ſimilia. Quæ ſimpliciter bona dicuntur, non vt virtus, quæ omni ratione eſt bona, ſed quatenus ex ſe mala non ſunr. Debent autem bona, quæ diſtribuuntur, eſſe eiuſmodi, vt plures in partes pares & impares diuidi poſſint: nec cuiuſquam propria, ſed eorum, inter quos eſt ſocietas, debent eſſe cómunia. Nam rem propriam elargiri, non iuſtitiæ, ſed liberalitatis eſt munus: nec cuiquàm iniuria fit, ſi nihil illí tribuitur ex his, quorum nihil ad eum pertinet. Nec mercedem aliquam pro ſuſcepto labore cuipiàm dare iuſtitiæ diſtribuentis, ſed permutantis eſt. Res enim cum re, & merces cum labore confertur. At iuſtitia communium bonorum diſtributrix non vtiq; rem cum re, ſed cum hominis dignitate rem componit. Verùm dices ſi iſthæc bona ſunt com-

communia, quo pacto iuſtitia cuiq; tribuit quod ſuum eſt! nempe quia totum & partes re conueniunt; atq; id, quod totum, etiam partes attingit. Verumtamem inter quos bona diſpertienda ſunt, eſt eorum dignitas attendenda, qua alius alij præſtat. Dignitatis autem ratio pro diuerſis rerump. formis diſſimilis eſt. Etenim qua in ciuitate populus remp. adminiſtrat, libertas; in qua penès paucos, eoſdemq; potentes adminiſtratio eſt, opulentia; in qua optimates gubernant, virtus præcipuè commendatur. Itaq; in Democratia qui libertatem magis tueri videtur, alijs antefertur; in Oligarchia locupletior; in benè inſtituta rep. virtus ſummam habet authoritatem. Vt igitur iuſta & æqua rerum partitio fiat, res ad perſonarum æqualitatem diſpertiendæ ſunt. Ac quando plures perſonæ ſunt, & res etiam plures, ad minimum quatuor conſtituere oportet, quæ Ariſtoteles minima, nos, ſi lubet, terminos, aut puncta vocemus; duas inquam perſonas, inter quas partitio fit, duas itidem res, quæ duabus perſonis diſtribuuntur: mox neceſſe eſt res perſonis æquare, hoc eſt, medium, æquumq; tenere. medium dico, quod inter duo extrema eſt; æquum verò, quod aliquibus pari proportione æquum eſt. medium rerum eſt inter parum & nimium; æquum verò meritam perſonam reſpicit. Tunc igitur rerum iuſta fit diſtributio; cùm res æqua proportione ad perſonarum æqualitatem diuiduntur. Etenim proportio duplex eſt, quarum alteram Arithmeticam, alterum Geometricam vocant: muſicam ad noſtrum inſtitutum nihil facientem relinquo. Proportio arithmetica parem quantitatem rerum, veluti parem numerum, quo ſex duo vincunt, & ſuperantur à decem; geometrica non parem quantitatem, ſed eandem rationem (vt antè diximus) attendit, veluti ſimilem proportionem, quam nouem ad ſex, & ſex ad quatuor habent, nimirum ſexquialteram. Rurſum vtraq; proportio aut deiuncta

& con-

& continuata eſt, aut diſtincta & interpuncta. Diſtincta eſt, quæ omnes partes inter ſe diſcretas habet, quas ſingulas inter ſe comparat. exempli cauſa, Qua ratione A, refertur ad C. ſic B, refertur ad D. At in continuata vnus, idemq́; terminus bis in comparatione repetitur ſic; vt A, cum C., ſic C, cum B, confertur. Iuſtitia igitur, quæ externa bona inter plures, ad quos pertinent, diuidit, ſingulas rerum partes ad ſingulas perſonas ſimili ratione referens, non arithmeticam, ſed geometricam proportionem ſeruat, eamq́; diſtinctam. non enim rerũ magnitudinem, ſed hominum dignitatẽ præcipuè reſpicit: atq; res cum perſonis ita cõponit, vt quanto alter alteri excellit, tanto res, quæ huic datur, præſtet rei, quæ alteri tribuitur. Et vt exemplo res declaretur, Inter Vlyſſem & Diomedem ſint XX. auri talenta ab Agamemnone pro illorum meritis partienda; atq; Vlyſſes Diomedi ſexquialtera proportione excellat: vt res cum perſonis geometrica ratione conueniant, XII. talenta Vlyſſi, VIII. Diomedi danda ſunt. Quam enim proportionem Vlyſſes ad Diomedem, eandem habent XII. ad VIII. Sic geometricam proportionem, & diſcretam vides eſſe ſeruatam. Sin aliter fiet, æquitatis ratio violabitur. Atq; hinc querimoniæ oriuntur, dum ſibi quiſq; minus pro meritis tributum eſſe exiſtimat. Atq; vt princeps ille ciuitatis eſt æquus, qui res æqualiter partitur, ſic & qui accipit eſt æquus, ſi eſt æqua diſtributione contentus.

De Iuſtitia permutante. CAP. XIIII.

AT iuſtitia permutans non hominum dignitates, ſed rerum pretia, hoc eſt, lucri, aut damni magnitudinem non geometrica, ſed arithmetica comparatione conſiderat. Quarè quod medium eſt inter nimium, & parum

& parum, lucrum inquam, & damnum, hoc tantùm aduertit. Cùm enim pro re accepta res par refertur nulla perſonæ habita ratione, tunc modus arithmeticus tenetur. Eſt autem lucrari in emendo, aut vendendo plus capere, quàm ſibi iure contingat: minus verò capere, eſt damnum pati: at qui neq; plus, neq; minus capiunt, ij neq; lucrari, neq; damnum ferre, ſed ſuamet habere dicuntur. Ac rerum permutatrix iuſtitia eſt duplex, altera voluntaria, vt vēditio, cuius videlicet principium in nobis ipſis ſitum eſt; altera inuita, vel ex vi, vt pulſatio, vel ab ignorantia, vt furtum. Tot enim modis inuitum fit, vi inquam, & ignorantia. Sed de voluntaria priùs loquemur, quæ in ipſa rerum æqua permutatione conſiſtit. Primùm equidem in vnum homines congregauit rerum ad victum, & vitæ cultum neceſſariarum indigentia: deinde congregatos continuit rerum permutatio. Permutationem rerum æqualitas conſeruat: æqualitatem definit communis quædam rerum genere diuerſarum menſura, non facultate naturæ, ſed induſtria hominum conſtituta, atq; ad ipſam indigentiam accommodata, pro qua pretium immutatur. Ac ſanè homines ante inuentum nummum res ipſas inter ſe commutabant, vinum cum tritico, & cum veſte triticum, adhibita menſura, quam inter ſe inſtituerant: quam & pro indigentia variabant. Cùm verò multæ res ſæpe aut vix, aut moleſtè permutarentur, quòd nullus illarum permutandarum æquabilis modus inueniretur, vnde multa pleriſq; incommoda accedebant, communem quandam rerum omnium menſuram excogitarunt, quæ cuiuſq; indigentiæ vel præſentis, vel futuræ vicem ſubiret. Nemo enim rem cum re, cuius indigens non eſt, commutat. Hæc autem menſura eſt nummus, quo inter nos omnia permutamus, certo conſtituto pretio, vt æqua permutatio nummo & pretio conueniens fiat. Itaq; rerum permutandarum ratio nummo ſuſtinetur: qui pro quacunque in-

que indigentia tanquam vas acceptus commutationem rerum facilem effecit, ἀπὸ τοῦ νόμου dictus, quòd non natura, ſed hominum inſtituto, & lege conſtet. Seruat autem permutatrix iuſtitia, vt dictum eſt, non geometricam, ſed arithmeticam proportionem, rerum æquam magnitudinem cõferens, vt pro communi menſura, & conſtituto pretio neq; plus, neq; minus, ſed quod æquum eſt vterq; accipiat. Hic valet illud Pythagoricorum præceptum, In iuſtitia idẽ eſſe recipiendum: non quidem re idem, vt calceum pro calceo, vel pro veſte veſtẽ; alioquin nulla foret permutatio, neq; rerũ indigentiæ ſubueniretur; ſed idem æſtimatione, & pretio; veluti tot calceos pro veſte, quoad illorum pretium æſtimationem veſtis adæquet. Atq; hæc commutatio facilior atq; commodior effecta eſt nummo. Ad voluntariè permutantem iuſtitiam referunt venditionem, emptionem, vſumfructum, mutuationem, locationem, conductionem, pignus atq; depoſitum. de quibus ad iuris peritos. At inuita, & non voluntaria iuſtitia iniurias, & damna compenſat: quæ idcirco aptiùs iniuriarum correctrix nominaretur. Dicta verò eſt non voluntaria, quia nemo ſua ſponte iniuriam accipit. Eius duæ ſunt formæ, altera violenta, vt verberatio, altera clandeſtina, vt furtum. totidem enim ſunt rei non voluntariæ rationes. Verùm in primis declarandum eſt, quid ſit iniuriam facere. Iniuriam ſanè is facit, qui volens, ac ſciens omnia, quæ facinus circunſtant, in aliquem præter eius voluntatem rem aliquam non æquam facit. Quòd ſi ille minimè repugnet, iniuria non eſt. Ergo iniuria fit, & accipitur inuitè. Qui autem inſcienter, aut nolens aliquod iniquum facinus committit, non ſua voluntate, ſed caſu aliquo iniuriam facit. Iam qui infert iniuriam, lucrari, qui fert, pati damnum dicitur. Nam iſta nomina lucrum & damnum ex his rebus, quæ inter homines vltro contrahuntur, ſumpta, ad ea, quæ inuitis nobis fiunt, ad il-

ad illatas inquam, acceptaſq; iniurias deducta ſunt. Etenim ſi pati damnum is dicitur, qui iniuria afficitur, & lucrari certè is dicetur, qui afficit. Ac licet vtrumq; ex ſe malum ſit, tamen pati, quàm facere iniuriam, præſtat. Illud enim poteſt à vitio abeſſe; hoc ſemper eſt cum aliquà prauitate coniunctum. Quamobrem lucrum & damnum, quandoquidem inæqualia ſunt, ad æqualitatem redigātur oportet. Rediguntur autem à certo aliquo, & conſtituto iudice: quem ob id græci μισότην appellant. Is aliquando Pythagoricorum ſcito eandem compenſationem inducit, dentem pro dente, oculum pro oculo; quandoq; leuiùs, aut grauiùs punit, non ſolùm pro cuiuſq; animi perturbatione, ſed etiam dignitate. Nam grauiùs eſt puniendus qui publicam perſonam violat, quàm qui priuatam lædit. Neq; hoc illi repugnat, quod antè diximus, ſcilicet, dignitatem in iuſtitia diſtribuente, rem in permutātè ſpectari: ſiquidem illic dignitas per ſe ipſa priùs attenditur, ad quam res deinde componitur; contrà hic priùs res expenditur, ad quam mox dignitas refertur, quatenus hominis conditio rem ipſam vel minuit, vel auget.

De Iuſtitia per tranſlationem dicta.

Cap. XV.

QVòd ſi nemo ſibi ipſi iniquus eſt, quia ſponte nemo ſe ipſum lædit; fit enim à volente nolenti iniuria; nec erga ſe ipſum quenquam propriè iuſtum dicemus: alioquin idemmet lucrum & damnum pariter ferret, ac ſimul iniuriam faceret & acciperet, atq; à ſe ipſo diuerſus eſſet. Adhoc iuſtitia æqualitatem ſignificat: æquale verò in comparatione ponitur, & ad aliud refertur. Nec iuſtum niſi inter æquales, & liberos eſt.

quocirca nominatur ciuile. Si igitur iuſtitia in his eſt, qui ijsdem legibus tenentur, ſanè inter ſeruum & dominum, filium & patrem, vxorem & virum non eſt quæ propriè iuſtitia nominatur: ſed erit illi ſimilis œconomica. tot enim ſunt in familia coniugationes. nec inter ſe tanquam res diuerſæ comparantur: quippe ſeruus in bonis domini eſt, & filius patris habetur, & vxor viri pars. tamen vt quiſq; per ſe homo eſt diſtinctus ab alio, iuſtitia quædam ciuili ſimilis inter ipſos exiſtit. quanquàm magis inter virum & vxorem, quàm inter dominum & ſeruum, patrem & filium imago ciuilis iuſtitiæ apparet: quoniam vxor viro in ſocietatem vitæ traditur, non item ſeruus, aut filius: magiſq; inter ſe æquales ſunt maritus & vxor, quàm ſeruus & dominus, aut filius & pater; quòd res forenſes vir, domeſticas vxor gubernet; nihil autem ſimile eſt inter patrem & filium, dominum & ſeruum. Inſuper Plato cùm in eodem homine duas partes inter ſe differentes videret, alteram capacem, alteram expertem rationis, ac diſſimiles actiones obire, alteram altera nobiliorem, iuſtitiam quoq; in eodem homine, tanquam in eadem familia, inter has partes eſſe voluit: quæ non propriè, ſed per translationem iuſtitia dicitur, herili ſimilis. ſiquidem pars quæq; ius habet ſuum, illa imperandi, iſta obediendi. Atq; tunc benè cum homine, tanquàm cum benè inſtituta familia, & ciuitate agitur, cùm pars ea, quæ virtute excellit, imperat inferiori; cùm contrà fit, rerum ſtatus perturbatur, & homo ſibi ipſe iniquus eſt, & iniuriam ſibi facit, non ſui, ſed ſuarum partium ratione.

IO. ANTONII VIPERANI DE VIRTVTE LIBER IIII.

De Matèria Fortitudinis. CAP. I.

IVSTITIAM ſequitur fortitudo; quæ & à græcis ἀπὸ τοῦ ἀνέρος ἀνδρεία, & à latinis à viro, quem conſtantia maximè decet, appellata eſt virtus: quod nomen factum eſt deinde omnium laudabilium affectionum commune. Ac fortitudo quandoq; ſignificationem ſuam collatans omnem virtuti neceſſariam perſeuerantiam ſignificat: propriè tamen ſubeundis & repellendis formidoloſis rebus animi firmitatem notat: in quibus ſeruare conſtantiam difficilimum eſt. Hinc Cicero fortitudinem, quia inuictum animum à timore, & audacia reddit, ſtabilem in formidoloſis rebus iudicij conſeruationem vocat. Quoniam verò timorem & audaciam ex malorum opinione exortos affectus moderatur, quid, & quotuplex malum ſit, ac circa quod potiſſimè verſetur, videre in primis oportet. Malum eſt, quod natura aſpernatur. nam bonũ eſt, quod natura aſciſcit. Aſciſcit autẽ natura quod ſibi conuenit; reſpuit verò contrarium, nimirum triſte, durũ, aſperũ, difficileq; perpeſſu. Atq; vt bonorum, ſic etiam malorum tria ſunt genera, animi, corporis, & fortunæ.

Tuſc. 2.

Malum animi propriè vitium nominatur; quod virtuti opponitur, quodq; ſimpliciter malum dicitur, quia omni ratione, ac ſemper, & omnibus eſt malum. Proinde Cicero dixit nullum malum eſſe niſi culpam. At corporis malum eſt ægritudo, languor, dolor,& quæ per vim inferuntur, verbera, tormenta, cruciatus. Fortunæ verò mala ſunt naufragia, patriæ euerſiones, exilia, orbitates, egeſtates, infamia, inimicitiæ, & his ſimilia. Sed & labores corporis doloribus finitimi, & pericula malis proxima in difficilibus, maliſq; cenſentur. Differt autem à dolore labor; quòd dolor eſt, (vt finit Cicero) motus aſper in corpore à ſenſibus alienus: labor verò functio quædam animi, vel corporis grauioris operis, & muneris. Vicina tamen ſunt: quia laborum conſuetudo (vt idem Cicero ait) perpeſſionem dolorum efficit faciliorem. Nec tamen omnia malorum genera fortitudini tanquam materies ſubijciuntur. nam quædam omnino fugienda ſunt, vt quæ ex vitijs concipiuntur, ignominia, dedecus, turpitudo: quædam ne metuenda quidem ſunt; quorum nimirum cauſa nulla in nobis eſt, vt paupertas, morbus, atq; his ſimilia. quæ tamen ſi noſtra culpa eueniunt, infamiam inurunt. Sed quorum metu animus à recta ratione detorqueri poteſt, in eorum contemptione fortitudo verſatur. Ac quoniam virtus in quoq; genere ſummum reſpicit, profectò quod in vita homini maximè terribile eſt, hoc fortitudo præcipuè ſpectat. Atqui mors eſt omnium malorum maximè terribilis. Ergo fortitudo vim ſuam in contemnenda morte potiſſimè explicat. Nec verò circa quoduis genus mortis cernitur, ſed vbi vim ſuam expromit alicuius ingẽtis boni gratia. Fortis enim ſe ipſum nouit, nec vitam ſuam parui facit, quam multis vtilem cognoſcit. Quarè cuiuſuis rei gratia cuiuis periculo vitam ſuam minimè exponet: ſed pro honeſtate, pro patriæ, pro parentum, pro amicorum ſalute pericula adibit, præſertimq;

In Tuſcul.

Ibid.

timq; ea, in quibus animi præſtantiam, firmitatemq; declaret. At verò pulcherrima, & præclariſſima mors habetur, quæ in bello oppetitur: vbi & vitæ diſcrimen maximum, in quo nempe mors omni horæ momento imminet; & cauſa mortis honeſtiſſima eſt, ſalus inquam ſuorum, & patriæ. Optimum enim augurium eſſe ille inquit pugnare pro patria. Vnde cadentibus in bello pro patria ſemper apud omnes conſtituti ſunt penè diuini honores. Ideoq; mortem in mari vir fortis odit, vt pote nulli vtilem, & quæ etiam poteſt cuiuis homini ignauo accidere. Omitto quod huiuſmodi mortis cauſa vel fortunæ, vel diuinæ iræ vulgò tribuitur. Vnde apud Virgilium AEneas, alioquin magnanimus & fortis, tale mortis genus, quod Ouidius miſerabile vocat, deteſtans inducitur, atq; eos ter, & quater felices appellans, qui in bello pro patria mortem occubuerant. *AEne. I.* *De Triſt. I.* Nec ſi fortis in tale genus mortis inciderit, plus alijs terrebitur; immo etiam maiorem præ cæteris animi conſtantiam præferet; præſertimq; ſi alicuius boni operis gratia inciderit: quem ſcilicet bonæ mentis conſcientia vehementiùs conſolatura ſit. Sed neq; mortem, quam naturæ humanæ conditio affert, fortitudo reſpicere videtur: quæ pariter eſt omnibus ignauis ſtrenuiſq; communis. Rarus igitur fortitudinis vſus erit dicet aliquis, quoniam pericula mortis rara eueniunt! At periculorum occaſiones in vita ſe nobis frequenter obijciunt. Multa etiam præter mortem alia frequenter occurrunt, in quibus aut obeundis, aut repellendis non exigua vis fortitudinis apparet. Dictum igitur eſt circa quæ mala fortitudo verſetur: nunc docendæ ſunt affectiones, quæ ex iſtorum malorum vel expectatione, vel agreſſione in hominis animo commouentur, timor inquam, & audacia: quarum quidem moderatio eſt fortitudo. Timor eſt animi demiſio ab expectatione mali, quod difficile vitare poſſe exiſtimat. Licetq; timor, qui amorem conſequitur,

quitur, per omnes virtutes, ſicut amor, peruadat, quia nimirum timemus ne quid noſtrum deſiderium interturbet, tamen iſtorum malorum, quæ fortitudini ſubiecimus, formido propriè timor nuncupatur. Audacia eſt animi ad ſuperandum malum elatio. Nec audaciæ nomen, quemadmodum nec timoris, ex ſe nota vitij eſt, cùm ſit naturalis animi affectio, quæ tam moderata, quàm immoderata eſſe poteſt; vnde fortes interdum appellantur audaces: ſed communi vſu loquendi ſæpius in vitio ponitur. Id autem fit, tum quia commotiones iſtæ ſæpius nimiæ ſunt, tum quia propenſiones ad res bonas tanquam virtutes vulgò laudãtur, veluti ſpes, & amor, contrà ad res malas affectiones tanquam vitia vituperantur, ſicut timor, & audacia, ira, atq; odium. Fortitudo igitur in timendo, & audendo adhibet moderationem, vt timeamus, & audeamus prout ratio præcipit: quandoquidem virtus non euulſio, ſed temperantia eſt affectionum.

Quid eſt Fortitudo. CAP. II.

AC nonnulli fortitudinem malorum, à quibus iſti affectus excitantur, deſpicientiam finiunt: ſicut Cicero, qui grauiora dumtaxat mala commemorans, illam dixit eſſe doloris, mortiſq; contemptionem. Præ cæteris enim malis dolores, qui ad interitum accedunt, & pericula mortis hominem ad quoduis facinus impellunt. *Tuſc. 2.* Nonnulli ab iſtarum affectionum temperantia fortitudinem eſſe timoris, & audaciæ mediocritatem aiunt. Quidam ad abſolutam eius naturam conſtituendam addunt rationem, quæ timendi, & audendi modum præſcribit; & mala, & quæ ex malorum expectatione, atq; aggreſſione commotiones animi oriuntur, recenſent: explicantq; illam eſſe pruden-

prudentem timoris,& audaciæ mediocritatem circa res terribiles, quæ ſua ſpecie poſſunt animum ab honeſtate reflectere. Alij breuiùs deſcribunt, videlicet, habitum cum prudentia circa inuadenda,& timenda. Sunt qui à duobus eius officijs ipſam definiunt vindicantem nos virtutem ab ægritudine, metuq; malorum. Aliqui à potiſſimo eius munere tolerantiam malorum explicant. Sed, priùs quàm declaremus officia fortitudinis, oportet mediocritatem timoris, & audaciæ doceamus. Timor,& audacia communi vſu loquendi nimiam animi commotionem in timendo, & audendo ſignificant: fortitudo ſeruat iſtarum commotionum mediocritatem. Mediocritas inter duo extrema ſita eſt, nimium,& parum. Ergo videnda ſunt quæ vtrinq; in timendo, & audendo fortitudini opponantur. Neq; diſſonum eſt eam pro diuerſis rebus diuerſas rationes inire. Qui vehementius timet, quàm oportet, timidus dicitur: qui nihil timet, græcè ἄφοβος, quaſi abſq; metu: qui autem abſq; vllo metu eſt, ſtupidus, & ſenſu carere videtur. Latinorum intrepidus, & impauidus vocabula potiùs in laude ponuntur; quòd eos indicant, qui ignauo metu vacant. Qui verò moderatè, & cum ratione timet quod, quando,quantum oportet, fortis nuncupatur. Prætereà qui nimiùm audet, audax: qui minùs audet, timidus. Itaq; timidus & in nimiùm timendo, & in minùs audendo peccat. Qui verò audet cum modo, is eſt fortis. Timendi, & audendi modum ratio docet: ſinè quà nulla eſt virtus. Quamobrem pulchrè Cicero inquit, Fortes non modò fortuna adiuuat (vt eſt in vetere prouerbio) ſed multo magis ratio:quæ quibuſdam quaſi præceptis confirmat vim fortitudinis. Nec timidus, & audax ſpem, ſeu bonam expectationem, quam haberi ratio præcipit, in malis concipiunt. Alter enim fractus animo diffidit, alter præfidit exultans: ille pluſquàm oportet retrahitur, hic longiùs quàm decet effertur. Fortis be-

Cic.Tuſ.1.

Tuſc. 2.

tis benè ſperat, & fidens eſt. Timidi propria eſt diffidentia; audacis confidentia; fortis fidentia. Quamuis enim confido ſit laudis, tamen confidentia, vt Cicero inquit, mala imperitorum conſuetudine in vitio poſita eſt, temeritatem, impudentiamq; ſignificans, comitem audaciæ. Audaces ante pericula ſunt ardentes, in periculis tergiuerſantes: at fortes ſunt ante pericula quieti, in periculis feruidi: verùm timidi ſunt humiles & depreſſi, inertes & languidi; verſuti tamen interdum, atq; doloſi. Sed tamen fortitudini magis timor aduerſatur, quàm audacia; quoniam maiorem habet diſſimilitudinem. Nam audacia licet inconſideratè, tamen adit pericula. itaq; fortitudini aliqua ex parte ſimilis eſt. timor uerò nulla in re fortitudinem imitatur. Adhoc difficilius eſt timorem cohibere, quàm audaciam reprimere. Ipſamet enim imago periculi animum coërcet, & timorem adauget. Quòd ſi timor hominem ab honeſtate magis, quàm audacia retrahit, certè fortitudo, cuius eſt in malis conſtantem rationem, & iudicium conſeruare, magis contra timorem pugnabit, quàm contra audaciam. Fortitudo igitur timorem & audaciam adeundis aut repellendis formidoloſis rebus, quæ animum à recta via conantur abducere, moderatur; ſimulq; ſpem comitem gubernat; ſeruatq; in timendo, audendo, confidendo rectæ rationis præcepta: quibus confirmata honeſtatis veſtigijs inhæret.

Tuſc. I.

De duobus Officijs Fortitudinis.

CAP. III.

Eius porro officia (vt dictum eſt) ſunt duo, ſcilicet tolerare præſentia mala, aggredi venientia. ſiquidem malum aut præſens eſt, aut veniens: illud ægritudinem parit, hoc metum. Tolerantia malorum facit, ne animus

animus debilitetur, aut ſuccumbat, cedatue dolori. vnde poëtæ illi grauiter reprehenduntur, qui fortes homines in ſcenam fractos malis, & eiulantes, ac viri firmitate res indignas facientes inducunt. At aggreſſio timore hominem ſpoliat, armatq; contra labores, doloreſq; fiducia. Ideoq; fortitudo finitur ab ægritudine, & metu nos vindicans virtus. Sed in ſuſtinendo res aduerſas fortitudo ſpem induit, quæ lenit ac mitigat mala: in adeundo pericula etiam iram ſumit, quæ animum exacuit. Eſt enim ira in rem contriſtantem acer animi motus. Quam ob cauſam fortes interdum iracundi eſſe videntur: & doctè Plato iram fortitudinis neruos appellat; qua animus tanquàm grauiore quodam pulſu ad aliquid faciendum intenditur. Ac quandoq; accidit iram non ſolùm à mœrore, ſed etiam à cupiditate aduersùs pericula in animo accendi, vt rem triſtem fugiat, & concupita potiatur. Horum duorum officiorum illud alteri præſtat, quod in tolerando ponitur; quoniam eſt difficilius. Quod autem difficilius, id etiam puchrius. Grauius eſt enim impetum ſuſtinere, quàm facere: & qui aliquem inuadit, fortior eſſe creditur, quàm qui inuaditur. verùm qui tolerat mala, ſuſtinere; qui aggreditur, impetum facere videtur. Tum qui in malis eſt, ſentit; qui adit pericula, nullos dum ſentit dolores. Atqui magis arduum, & mirabile eſt vrgente malo, quàm abſente non premi. Prætereà diuturnior eſt tolerantia, quàm impetus. nam illa diutiùs permanet; is ſubito motu fit. laborioſius autem eſt tentatum diu malis non moueri, quàm ſubito motu efferri. Atq; etiam fortitudo magis in repentinis, & inopinatis malis, quàm in præuiſis, & præcautis agnoſcitur: quoniam & illa mala grauiora ſunt; & is habitum fortitudinis magis oſtendit, qui improuiſo caſu minùs terretur. Eſt enim habitus naturali affectioni ſimilis, conſtans, & præſens ſemper. Attamen aliquando inopinantem virum fortem malorum

multitudo, & immanitas in ſtuporem quendam adducunt. quod Virgilius Turno eueniſſe confingit,

Æneid. 12. *Obſtupuit varia confuſus imagine rerum.*

verùm vbi animum reſumit, quò maior difficultas rerum fuit, hoc inflammatior erigitur.

Ibid. *Vt primum diſcuſſæ vmbræ, & lux reddita menti eſt,*
Ardentes oculorum orbes ad mœnia torſit.

Ex his patet mortem ſibi ob paupertatem, aut ſeruitutem, aut illatam iniuriam, aut malum aliud conſciſcere, non elati & conſtantis, ſed demiſſi & mollis animi eſſe, non fortiter ferentis dolorem, aut laborem, ſed ignauè, ac turpiter fugientis. Neq; id ſolùm contra Dei maximi præceptum, ſed etiam contra magnorum philoſophorum ſcita fit. qui negant homini fas eſſe iniuſſu Dei è vita diſcedere, perinde ac militi ſtationem ſinè imperatoris conceſſu relinquere. Quare nec Cato laudandus, qui Vticæ ſe ipſe interemit, ne in manus Cæſaris veniret: neq; etiam laudanda Lucretia eſt, quæ ob illatum ſtuprum pectus ſibi gladio transfixit. Non enim aduerſus arma ſolùm, ſed etiam contra omnem fortunam vis fortitudinis adhibetur. Iam quæri ſolet à quibuſdam, quo modo, ſi virtutis vſus eſt iucundus, fortitudo in laborum ſuſceptione, & dolorum perpeſſione delectat? Profectò nulla corporis voluptas eſt inter cruciatus, atq; ſupplicia; ſed poteſt animus inter corporis mala ipſe virtutum ſtudijs oblectari: quanquàm corporis dolor, quia magis ſentitur, magiſq; cogitationem ferit, voluptatem animi perſtringit, atq; obnubit. Proinde fortitudo hanc operam potiſſimè dat, ne corporis dolores ab honeſtate animum abſterreant, & quodam quaſi turbine intelligentiam abripiant. Atq; vt pugiles victoriæ cauſa pugnos, & plagas ferunt, ſic viri fortes propter honeſtatem res aduerſas tolerant. Nec minor animi lætitia virtutis opus conſequitur, quàm exultatio victoriam excipit.

De

De Conditionibus Fortitudinis.

Cap. IIII.

CVm igitur fortitudinis officia duo ſint, ferre inquam præſentia mala, & ſuſcipere venientia, quo pacto comparandus vtrobiq; animus ſit, aduertamus. Sanè priuſquàm mala, & pericula adeat, fiduciam ſumat: in ipſa verò laborum, periculorumq; ſuſceptione magnanimitatem oſtentet. Fiduciam voco præſentiam animi, quam ſpes, & ſpei comites affectiones aſſectantur. nam confidentiam vitij notam eſſe ſuprà docuimus. Magnanimitas elationem & altitudinem animi ſignificat, qua ſubter ſe mala habet, ac deſpicit. Verùm ferendis aduerſis rebus primùm patientia, ne animus mœrore frangatur; tum perſeuerantia neceſſaria eſt, ne animus defatigatus aliquãdo ſuccumbat. Patientia eſt malorum propter honeſtatem perpeſſio; perſeuerantia verò eſt in malorum perpeſſione firmitas atq; conſtantia. Quæ quidem fiducia, magnanimitas, patientia, atq; perſeuerantia ad alias quoq; virtutes poſſunt in ſuò quamq; genere referri. Nam & fidere, & magno animo eſſe, & patientem, & in ſuſcepta ratione conſtantem, alijs quoq; virtutibus communia ſunt; & aliquarum certo in genere propria: ſed in his malis, quæ fortitudini ſubiecta ſunt, adeundis, vel tolerandis, ad fortitudinem propriè pertinent. Ex quibus ſingulis fortem quandoq; confidentem, quandoq; magnanimum, quandoq; robuſtum, quandoq; firmum: & fortitudinem modò animi præſentiam, modò magnanimitatem, modò patientiam, modò firmitatem animi vocamus. Quas conditiones Cicero fortitudinis comites *Tuſc. 2.* appellat. Quamobrem ſi forti ſunt iſta tenenda, erunt porrò fugienda contraria, diffidentia, demiſſio animi, triſtitia, atq; mollities.

De non veræ Fortitudinis quinq; formis.
CAP. V.

QVòd ſi fortitudinis materia multiplex non eſt, neq; plures eius ſpecies erunt. Nam licet diuerſa genera malorum ſint, tamen illorum ſuperandorũ nõ niſi vna ratio eſt: qua animus neq; ob metũ, neq; ob tolerantiã malorum deſerit honeſtatẽ. Neq; etiam locorũ, aut perſonarum diſſimilitudo formã fortitudinis variat. Nonnulli tamen duas fortitudinis ſpecies fecerunt ciuilem, & bellicam, fortè moti Ciceronis illis verbis, *Offic. 1.* Sunt domeſticæ fortitudines non inferiores militaribus. Verùm Ariſtoteles vnam dumtaxat veræ fortitudinis ſpeciem fecit, quòd vnam materiam, & vnum finem haberet; ſed non veræ fortitudinis plures formas: inter quas ciuilem, & bellicam enumerauit, non idem omnino, quod Cicero, ſentiens. Quæ omnes cum vera fortitudine in malorum ſuſceptione, & perpeſſione conueniunt; ſed fine, modoq; diſſentiunt. Nos breuiter illas exponemus, vt ſynceram & veram fortitudinis faciem, non ſimulatam & fucatam cognoſcamus. Prima eſt ciuilis; non quæ in rerump. adminiſtratione conſiſtit; ſed quæ vitæ communionem quandam & ſocietatem reſpicit, non ſolùm in vrbanis, ſed etiam in bellicis rebus. Huic in periculorum ſuſceptione non proponitur honeſtas, ſed vel honoris adeptio, & infamiæ fuga, vel ſupplicij metus. Differtq; à vera fortitudine habitu, & fine. Nam vera fortitudo gerit perfectum habitum virtutis, finemq; petit honeſtũ, nimirùm habitus ſimilem actionem. Sed veram fortitudinem magis, quàm aliæ fortitudines imitatur: quia honorem expetens, ſi non ipſam virtutem, at virtutis vmbram perſequitur. Ob idq; laudabilior eſt, qui

cupidi-

cupiditate gloriæ, quàm qui timore pœnæ fortiter aliquid facit: quoniam liberalius, & illuſtrius ingenium declarat. Vnde in ea ciuitate, in qua timiditas dedecore notatur, plures viri fortes inueniuntur. Nec omnino abſurdè veteres illi (vt ſcribit Plutarchus) fortitudinem non timoris vacuitatem, ſed ignominiæ formidinem eſſe dixerunt. Altera fortitudinis ſpecies eſt, quam ſcientia & rerum experientia facit: cuiuſmodi eſt militaris; quæ non vlla virtutis & honeſtatis affectione, ſed tantummodò rerum bellicarum peritia conſtat. Quarè exercitati milites & veterani fortiores, & ad bellum aptiores ob exercitationem habentur: quoniam pericula experti, & pugnandi artem edocti, inexpertis & indoctis ſunt audaciores. tamen vbi certum periculum mortis inſtare vident, ipſi omnium primi fugam capiunt, ſaluti ſuæ non dextra, ſed pedibus conſulentes. At qui verè fortis eſt, honeſtatem ſaluti anteponit. Sciteq; Leonidas quidam Lacon interrogatus olim cur viri fortes clarā mortem obſcuræ vitæ præferrent, reſpondit, quòd hanc naturæ, illam ſuum ipſorum opus eſſe cenſerent. Tertiam fortitudinis ſpeciem ira effingit, non illa quidem moderata, fortitudiniſq; miniſtra, ſed præceps & effrenata: qua interdum percitæ belluæ atq; furentes fortiſſimæ cernuntur. at fortitudinem non perturbatio, ſed recta animi ratio & honeſtas informat. Quartam ſpes conſtituit: quam ſpem aliquando creat experientia. Sed qui ſpe freti ſpiritus attollunt, ea euaneſcente, ſtatim illos demittunt. Ideoq; in repentinis malis fortitudo vim ſuam magis oſtendit, quia magis habitum explicat. Quinta ex ignorantia oritur: ſed cognito periculo nulla fit. Omnes autem veram fortitudinem in periculorum ſuſceptione imitantur, ſed fine ab ipſa diſtant; quædam etiam delectu quodam, vt illæ, quas ira, & ſpes generant; quædam etiam cognitione, vt, quæ ab ignorantia eſt. Atq; inter has non veræ fortitudinis formas ciuilis excellit;

In Cleomene.

Plutar. in Pelopide.

cellit; quæ maximè ad virtutem accedit: poſt hanc militaris, quæ arte & experientia conſtat: locum infimum tenet, quæ ab ignorantia gignitur; quia nihil penitus habet dignitatis.

De Nomine, & Definitione Temperantiæ. CAP. VI.

REſtat vt de temperantia, quæ cupiditatis eſt moderatrix, loquamur. Hoc nomen modum quendam animi affectionum, actionumq; ſignificat. Proin Cicero Platonem ſequutus omnes virtutes morales vno temperantiæ nomine ſignauit. Nonnulli à vocum concentu, & à corporis qualitatum, quos humores vocant, temperatione, atq; à membrorum compoſitione ſimilitudinem ſumentes temperantiam, quæ animi commotionum, & actionum moderatio eſt, modò harmoniam, modò ſanitatem, modò pulchritudinem appellarunt. tamen aliqui moderationem affectionum temperantiam, modeſtiam vero actionum iuſtitiam; illamq; ſanitatem, hanc pulchritudinem vocare maluerunt. Sed & pulchritudinis nomen rectè quoq; temperantiæ conuenit, non ſolùm quia in partium certa temperatione conſiſtit, verùm etiam quia voluptatem frenat, quæ turpiſſimis maculis honeſtatem hominis fœdat. Ac licet omnis virtus vocetur temperantia, tamen virtus, quæ voluptates corporis moderatur, à quibus animus ad res turpes allici, & corrũpi maximè ſolet, hoc præcipuè nomen adepta eſt. Ac multis quoq; alijs nominibus notatur. Nam & moderatio, & modeſtia, & frugalitas nominatur: cui contrarium vitium eſt nequitia. Et quanquàm omnis virtus nominatur frugalitas, tamen hoc potiſſimè nomine appellata eſt temperantia; quòd appetentis animi motus

regat,

regat, aduerſantemq; libidini conſtantiam ſeruet: qua re nihil vtilius homini eſſe poteſt. Quoniam verò qui frugi, vel moderatus, vel temperans eſt, eum neceſſe eſt ſanum, & quietum eſſe, idcirco temperantiæ comites ſunt integritas animi, atq; tranquillitas: ſicut perturbatio, & mollities non ſolùm animi, ſed etiam corporis intemperantiam aſſectantur. Vnde Cyrus (Sicut Xenophon refert) intemperantes molles vocabat, & imprudentes: quoniam voluptas rationem è ſua ſede diſturbat; & inimica rationis omnes animi vires frangit atq; debilitat. Quocircà græci temperantiam, quaſi conſeruatricem prudentiæ, σωφροσύνην nuncuparunt. Non enim fieri poteſt, vt, dominante libidine, quicquàm conſilio, & intelligentia conſequamur. Quamobrem poëtæ Palladem aduerſantem Veneri prudenter finxere: Palladiſq; monitis & ope Diomedes apud Homerum eo die, quo in ſuſcepta cum Troianis pugna ſapientiſſimus & fortiſſimus viſus eſt, voluptatum Deam vulnerauit, & repulit. In ſacris prætereà libris temperantiam ſeruantem voluptatum modum à potiori eius parte ſobrietatem appellari legimus: quæ victum moderans, voluptatem maximè temperat. Temperantiam ſic quidam finiunt, virtutem monentem, vt in rebus expetendis, aut fugiendis rationẽ ſequamur. Non enim ſatis eſt quid faciendũ, aut non faciendũ ſit iudicare, ſed etiã ſtare oportet in eo, quod iudicatũ eſt. Quod quidem ad omnes virtutes morales pertinet, ſed continentiæ, ac tẽperantiæ peculiare magis eſſe videtur. Qui verò temperantiam affectionum harmoniam eſſe volunt, illam eſſe finiunt commotionum appetitus moderatricem virtutem; atq; tum auocantem à libidine animum, tum non ſinentem illum inſolente alacritate geſtire. Et M. Tullius Cicero, Temperantia eſt, inquit, rationis in libidinem, & in alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio. Prout tamen eſt quarta pars vniuerſæ moralis virtutis

Ιλια. ε.

tutis & honeſtatis, ſic rectè finietur, opinor, Voluptatum corporis, quæ tactu, & guſtu ſentiuntur, moderatio. Non enim omnem voluptatem, ſed dumtaxat corporis; neq; omnem corporis voluptatem moderatur, ſed eam, quæ certo ſenſu percipitur, vehementiusq; animum turbat, & excæcat. Verùm quid voluptas ſit, & quotuplex videndum eſt, vt circa quam temperantia verſetur, meliùs intelligatur.

Quid, & Quotuplex voluptas; & quæ voluptas ſit materia Temperantiæ.

CAP. VIII.

ARiſtoteles voluptatem actione definit. Sed non eſt voluptas ipſa actio, verùm qualitas conuenientem actionem conſequens, atq; perficiens. Quarè voluptatis vim, & varietatem ex actionum natura, & diſſimilitudine cognoſcemus. Et quidem omnis actio vel ab habitu eſt, atq; à benè compoſita, expletaq; natura, vel facit ad componendum habitum; & explendam naturæ cupiditatem. Prioris generis eſt contemplatio; nam contemplamur ea, quorum ſcientiam tenemus; & reliquæ actiones benè inſtituti animi, & ſi quæ ſunt ſani, & integri, nec dolorem, nec laborem ſentientis, nihilq; exigentis corporis, vt videre, atq; audire. quanquàm ſenſuum actiones omnino doloris expertes non ſunt: ſed minùs ille propter conſuetudinem ſentitur. Poſterioris generis ſunt ſtudia, quibus habitus intelligentiæ comparamus, & opera, quæ ad ſubueniendum corporis neceſſitatibus ſuſcipimus. Etenim multis modis virtus corporis reparanda eſt, quæ multis modis deperditur: veluti potione, & cibo ſiti, famiq; ſuccurrimus; atq; ad ſuſtentandas alias egeſtates corporis diuerſa molimur. Igitur actio, quæ ab habitu prodit, & ex ſe

apta

apta natura, quoniam nullo impedimento turbatur, perfectam voluptatem habet; quæ verò ob egeſtatem aliquam eſt, aut aliquo motu, & perturbatione impeditur, hanc voluptas imperfecta comitatur. Ideoq; pueri nullam ſcientiæ delectationem veram ſentiunt, quia cum dolore, & labore addiſcunt: nec expletæ ſunt corporis voluptates, quæ ab aliqua victus, cultuſq́, neceſſitate gignuntur; ac variæ ſunt, quia plures, & diuerſæ ſunt egeſtates. vnde imperfectæ ſunt, quia tanquam medicamenta adhibentur. Præterea voluptates aliæ nullum patiuntur exuperantiæ vitium, ſed quò maiores ſunt, eò ſunt etiam meliores; cuiuſmodi ſunt mentis & intelligentiæ actiones, quæ quò intenſiores, eò etiam præſtantiores ſunt: aliæ modo quodam terminantur; quem ſi tranſierint, nimiæ, ac vitioſæ euaſerint; quales ſunt corporis voluptates, quæ moderatione quadam conſeruantur. Ideo moderatæ voluptates bonæ ſunt; immoderatæ malæ. Tum corporis voluptates aliæ vel ad nutritionem, & conſeruationem vitæ faciunt, vt eæ, quæ ex alimento capiuntur, quo animantes educantur, atq; fouentur; vel ad generis propagationem, & conſeruationem valent, vt veneris vſus: aliæ non neceſſariæ, nec ad cuiuſquam vitæ tuitionem, nec ad generis conſeruationem facientes, vt odores, atq; ſapores; multoq́; his minùs honores, dignitates, diuitiæ; quæ extra nos ſunt. Præterea voluptates partim naturales & neceſſariæ ſunt, vt potionis, & cibi; partim naturales & non neceſſariæ, vt ſapores, & odores; partim nec naturales, nec neceſſariæ, vt magiſtratus, & honores. Non naturales voco, non quæ naturæ modum non tenent vel propter morbum, vt ea, quam in nonnullis terræ, & lapillorum eſus parit, vel propter prauam conſuetudinem, vt ea, quam nonnulli corrodendis vnguibus capiunt, vel propter immanitatem, vt, quam aliqui ex humanarum carnium paſtu ſentiunt, ſed quæ neq; animum, neq, corpus iuuant. Inſu-

per voluptates quaſdam facit Ariſtoteles communes, quas natura omnibus dedit, vt potionis, & cibi, quaſdam pro cuiuſq; ingenio & cupiditate proprias, ac ſecundum hominum diuerſas conditiones, & corporum temperationes inter ſe varias. Temperantia igitur circa voluptates naturales tantùm eſt, eaſq; non animi, quæ veræ & perfectæ ſunt, nec vllo exuperantiæ vitio labefactantur, ſed corporis: nec circa omnes corporis, non odorum, non ſonorum, non colorum, verùm circa neceſſarias ad cuiuſq; vitæ, & totius generis humani conſeruationem, eſculentorum inquam, & poculentorum, ac veneris; quæ ad tactum, & guſtum, qui ſemper cum tactu iunctus eſt, pertinent. Quæ quidem voluptates nobis cum cæteris animantibus communes, magiſq; naturales ſunt, quia præ cæteris naturã indiuiduorum, generiſq; conſeruant: ideoq; vehementiores, & temperatu difficiliores; quia voluptas, quæ actionem ſequitur, hòc maior eſt, quò actio magis eſt naturalis. Et in maiorum voluptatum moderatione temperantia conſiſtit, perinde vt in grauiorum malorum tolerantia & contemptione fortitudo. Verùm ea, quæ ex ſe alios ſenſus oblectant, vtpote amabilia, & ipſorum apta naturis, licet bono modo percipienda ſint, tamen quia nulla vitæ neceſſitate, ſed ſola à nobis iucunditate petuntur, minimè ad temperantiam ſpectant, cuius eſt vitæ neceſſitatibus conſulere. Spectare tamen videntur ad temperantiam eatenus, quoad faciunt ad res vitæ neceſſarias, quas tactus amplectitur. Vnde odor florum ſolùm per ſe ipſe delectans nihil ad temperantiam attinet; ſed epularum, & vnguentorum odor, qua ratione guſtum, & tactum excitat, ad temperantiam pertinet. Magis autem cum tactu guſtus, quàm cæteri ſenſus, temperantiæ ſubijcitur, quia tactui propior eſt, atq; coniunctior. immo etiam eſculenta, & poculenta ad guſtum, prout tactus quidam eſt, deferuntur: quem guſtum ex ſe cibus, potuſq; delectat.

delectat. Ac natura primam delectationem alimenti facit; ad quam ſaporum & condimentorum ſuauitas accedit. Nec temperantiæ munus eſt de eſculentorum & poculentorum qualitatibus, quæ tactu, guſtuq́; percipiuntur, iudicare, ſed illarum vſurpationem videre, ne menti & intelligentiæ officiat. Oportet autem capiendis voluptatibus modum quendam tenere, vt vitæ neceſſitatibus ſatis fiat, nec contra rationem appetitus efferatur: qui vt puer magiſtri minis, ſic mentis admonitu & authoritate ſemper in officio continendus eſt. Cæterùm ei, qui nullam ſentit, aut capit ex his rebus voluptatem, quæ ad degendam vitam neceſſariæ ſunt, nullum huc vſq; proprium nomen datum eſt; quia nullus vnquàm inuentus eſt iſtiuſmodi: ſed dicatur (ſi lubet) ſtupidus. Qui nimijs voluptatibus fruitur, neq; ab his cohibet, vt par eſt, appetitum, intemperans vocatur. Inter ſtupidum & intemperantem medius temperans eſt; qui moderatè his voluptatibus vtitur. Et in vſu quidem neceſſariarum, ac communium voluptatum vno tantùm modo peccatur, nimirum egeſtatem naturæ plus quàm ipſa poſtulet, explendo. huiuſq́; modi homines græcè γαςρίμαργοι dicuntur, hoc eſt, ventri, ac gulæ dediti. in proprijs tamen voluptatibus, quæ ſingulari, ac præcipuo ſtudio quæruntur, multifariam delinquitur, non ſolùm immoderantia, ſed etiam vſu, loco, ac tempore; nec tantùm pro rerum qualitate, ſed etiam pro facultatibus, & conditionibus perſonarum. At dicet aliquis, ſi temperantia temperandis voluptatibus operam ſuam nauat, quonam pacto etiam dicitur lenire dolores, cùm dolorum tolerantia propria ſit fortitudinis! quia ſcilicet fortitudo res per ſe dolorem afferentes perfert; temperantia eos dolores mitigat, quos voluptatum priuatio in animo gignit: tamen vt fortitudinis vis magis in ferendis malis, quàm in adeundis periculis, ſic temperantiæ laus maior eſt in præſentium voluptatum

moderatione, quàm in dolorum ex illarum deſiderio mitigatione. Adhoc quæri ſolet vtra magis reprehendenda ſit, intemperantia, an timiditas! Certè ſi quò magis res voluntaria eſt, eò magis damnatur, timor minùs vituperabitur, quia minùs in noſtra poteſtate eſt. Eſt enim rerum, quas natura ipſa fugimus; & à re nobis extrinſecùs obiecta infertur. quare minùs eſt voluntarius. At intemperantia eſt voluptatis, quæ ſpontè à nobis expetitur, & inſita in nobis eſt, & diffundit ſuauitate animum, qui aliter formidine comprimitur. Tum intemperantia ſingularem aliquam delectationem ſequitur; timor verò totius vitæ ſalutem, & incolumitatem intuetur. Sed & aliud timidus, aliud intemperans affectat. Nam ille habitum timoris, quàm timorem mauult, hic magis voluptatem amat, quàm intemperantiæ habitum.

De Conditionibus, ſeu Partibus Temperantiæ. CAP. VIII.

SEruat autem moderatus, & temperans verecundiam, & honeſtatem: quarum hæc quendam quaſi vitæ ornatum tenet, illa turpitudinem, & dedecus fugit. eas quidam partes, quidam conditiones temperantiæ appellant. Honeſtum quid eſſet tunc docuimus, cùm de bono diſputauimus. Eſt autem honeſtum, quicquid dignum honore cenſetur: qui quidem non niſi excellenti alicuius præſtantiæ tribuitur. Atqui homo cæteris animantibus virtute maximè excellit. Quarè quicquid eſt cum virtute coniunctum, id etiam honeſtum eſt. Atq; honeſtatis quidem nomẽ primò totius animi rectam compoſitionem, tum etiam decentẽ vitæ conſuetudinem ſignat. Et quanquàm in omni virtute, tamen in actionibus temperantiæ honeſtas

potiſſi-

potiſſimè cernitur, quia mentem & rationem tuetur ab illecebris voluptatum, quæ animum vitiant, atq; corrumpunt, noſq in belluas ex hominibus conuertunt. Quocirca licet amplior ſit iuſtitiæ, & fortitodinis honor ob bonorum, quæ pariunt, magnitudinem, tamen ob turpiorum vitiorum fugam, qua conditionis humanæ dignitas conſeruatur, temperantia maiori in pretio habetur. Eſt enim intemperantia maximè vituperabilis: quæ communes nobis cum belluis voluptates, & ſeruiles inſequens, atq; aciem mentis obſcura quaſi quadam caligine offundens, hominis eſt valdè inimica præſtantiæ. Cæterùm verecundia eſt turpitudinis, & infamiæ metus. Turpitudo primùm deformitatem animi, actionumq; prauitatem, tum vituperationem ſignificat: quæ vitij deformitatem, velut culpam pœna, conſequitur. Verecundia primò vituperationem metuit; deinde ipſum vitium fugit reprehenſionis metu. quarè hominum conſpectum vitans, vt ignominiam effugiat, ingenua timiditas appellatur. Recteq; Xenophon à temperante verecundum hoc diſtinguit, quòd verecundus res turpes, quæ dumtaxat ante aliorum oculos poſitæ ſunt, vitat; temperans verò etiam ab aliorum oculis remotas odit, non tam hominum ora erubeſcens, quàm per ſe virtutem ipſam diligens. Et quanquàm ad omnes virtutes verecundia pertinet, quatenus omne vitium turpitudinem aliquam habet, quòd propter à Cicerone virtutum omnium cuſtos dicitur, præcipuè tamen adiungitur temperantiæ; quoniam intemperantia eſt turpiſſima, & in primis vituperanda. Differt autem à timore verecundia, quòd verecundia tam præterita, & futura, quàm præſentia mala, quæ notas ignominiæ inurunt, declinat; timor verò tantummodò venientia fugit, quæ dolorem, aut interitum afferunt. Mox verecundiam rubor, timorem pallor ſubſequitur. Nam dum calamitatẽ aliquam peſtemue timemus, ad propugnationem & defenſionem cordis,

cordis, quòd vitæ fons & origo eſt, ſanguis contrahitur: ex quo partes corporis extremæ exangues, pallẽteſq; redduntur. Cùm verò pudore afficimur, ſanguis ad extrema diffunditur, quaſi ignominiam velaturus, quæ in his partibus reſidere videtur. Primùm itaq; veremur ea, quæ in aliorum conſpectu ſunt; quoniam noſtrorum facinorum conſcium habere quenquàm nos pudet. deinde uirorum bonorum conſpectum præ cæteris ueremur, qui iudicio, & authoritate plus alijs ualent. tum propinquos, & amicos, qui quoniam nobis magis benè cupiunt, noſtros mores, & uitam magis obſeruant: unde ſublata uerecundia, etiam amor & beneuolentia tollitur. poſtremò eos ueremur, à quibus boni aliquid, commodiq; ſperamus. Quia uerò perfectam honeſtatis rationem verecundia non habet, ſed tantùm honeſtatis inimicam turpitudinem euitat, perfecta virtus non eſt, ſed quandam uirtutis ſignificationem dans affectio. Virtus enim habitus eſt: at uerecundia eſt ſubita commotio; quam indicat rubor, qui ore diffunditur. Virtus etiam, quia ſuo in genere perfecta eſt, nil turpe admittit, neq; vllum dedecus ueretur: at uerecundia tanquam aliquod vitium proximum habens, ignominiam formidat. Eſt tamen affectio laudabilis, quia uirtutis aliquod ſtudium oſtendit. Sed & modum quẽdam tenet: quem qui tranſit impudens, improbuſq; fit; qui non attingit, & plus quàm oportet verecundatur, pauidus à quibuſdam, à nonnullis etiam uerecundus dicitur. Et verecundiam Homerus duplicem facit, utilem, nimirum moderatam, & inutilem, quæ id veretur, quod uereri non debet, aut non adeò uereri, præſertim ſi id uitæ neceſſitas poſtulet. quam inutilem verecundiam meritò ſtultam vocant. Iam ſi verecundia eſt metus infamiæ, belluæ verò nullam ſentiunt turpitudinem, quia ſunt expertes rationis, quæ verecundiam ipſam gignit, & regit, profectò ſolus homo ex tot animantibus eſt pudoris, & vere-

cundiæ

cundiæ particeps. Decet autem uerecundia maximè iuuenes, & mulieres, utpote ad libidinem procliuiores. Idcirco prudētiſſima natura illis pudorem tanquam frenum iniecit, quo ab illecebris turpitudinis coërcerentur. Hinc apud Terentium de verecundo adoleſcente ſenex ille dixit, Erubuit, ſalua res eſt. Nec cadit in deprauatos homines pudor, qui non ſolùm ipſis uitijs oblectantur, verùm etiam gloriantur. Nec prætereà ſenes erubeſcunt, quorum pacatæ iam & remiſſæ appetitiones ſunt. Abeſt etiam à ſtudioſo uiro pudor, quoniam ipſe ab omni turpitudine abeſt. tamen ita compoſitus animo eſt, ut longè maiore uerecundia, quàm alij, ſi fortè unquam in turpitudinem aliquam incideret, afficeretur. Qua igitur ratione inquies pudorem temperantiæ adiungimus! qua ad comparandam temperantiam valet: eiuſq; motu ita afficimur, ut impenſiùs turpitudinem fugiamus.

De Generibus Temperantiæ.
CAP. IX.

CVm igitur temperantia voluptates corporis, quæ tactu ſentiuntur, moderetur, quot iſtarum uoluptatum genera ſunt, tot erunt quoq; genera temperantiæ. Sed neq; voluptates omnes, quæ tactu capiuntur, ad temperantiam ſpectant, ſed eæ, (vt diximus) quas natura rebus uel ad degendam uitam, uel ad propagandam ſobolem neceſſarijs adiunxit: quæq; ſuis illecebris maiores animi partes ab honeſtate detorquent. Hoc enim moralis uirtutis officium primum & ſummum eſt, ab animi non recto impetu rationem defendere, atq; hominis affectiones conſilio & prudentia regere. Atqui uita hominis cibo, & potu ſuſtinetur & alitur; ipſum quoq; genus humanum Veneris

neris munere conſeruatur, atq; augetur. Cibi, ac potus moderationem abſtinentia, & ſobrietas; Veneris temperationem caſtitas, & pudicitia ſeruant. Etenim ſi diſſimiles uoluptates ſunt, diuerſæ etiam exiſtent illarum moderatrices uirtutes: atq; ut uoluptates iſtæ ſub uno genere, ſic etiam illarum moderatrices virtutes ſub una temperantia collocabuntur. Non autē uoluptates, quæ ab alijs ſenſibus percipiūtur, ſubijciuntur tēperantiæ; quia per ſe nihil ad alēdam & augendā hominum uitam faciunt, nec ui ſua mentem, rationemq; deprauant. at tactionis uoluptates tum magis expetuntur, quia magis neceſſariæ, tum longiùs rationem abducunt, quia uehementiores ſunt. Eſt igitur abſtinentia potionis, & cibi temperatio, non ut ſunt alimenta uitæ, ſed vt ſua iucunditate uim mentis debilitant, & officia rationis impediunt. Et quanquàm nomen ipſum abſtinentiæ receſſum quendam à medio ad id, quod parum eſt, ſignificare uidetur, tamen ipſa uirtus in mediocritate quadā poſita eſt, quam ratio pro cuiuſq; uitæ & ualetudinis indigentia, pro cuiuſq; fortuna & ſtatu, pro locorum & temporum conditionibus ſancit. Nam etſi uirtutes omnes morales in mediocritate conſiſtunt, tamen aliquæ magis ad id, quod parum eſt, aliquæ ad id, quod nimium eſt, uergendo laudantur. Quarum enim rerum blanditijs & ſuauitate ab honeſtate retrahimur, ab illis magis recedendum; quarum uerò metu terremur, ad has magis accedendum eſt. Hoc fortitudo, illud temperantia ſeruat. Vnde uitium, quod uoluptatē magis ſequitur, magis temperantiæ repugnat; quod uerò res formidoloſas magis refugit, hoc à fortitudine magis recedit. Quem uerò modum in ueſtitu tenere oporteat, alia uirtus docet. Abſtinentiæ comes eſt ſobrietas. quod nomen (ut quibuſdam placet) à ſeruanda menſura dictum poteſt quidem ad ea omnia deduci, quæ medium quendam modum habent; tamen

men moderatum potus uſum, qui per ſe poteſt hominem ebrium facere, potiſſimè ſignificat. ideoq; propria cuiuſdam virtutis eſt forma, quia certum vitium corrigit, quod ſingulari modo rationem obcæcat. Contra ſobrietatem ebrietas, ſicut contra abſtinentiam crapula venit, in ſenibus, & optimatibus vituperanda, quorum eſt alios conſilio, & vitæ exemplis docere, à iuuenibus ob libidinem, ad quam ætate procliues ſunt, repellenda. Libido enim vino facilimè excitatur, ſicut ille Poëta inquit, Sinè Cerere & Baccho friget Venus. Itaq; ſobrietas, & abſtinentia caſtitatem tuentur; cuius proprium munus eſt cupiditatem veneris coërcere. quod propter illam nonnulli à caſtigando appellatam volunt. Et quamuis omnis animi non rectus impetus corrigendus ſit, tamen venereæ voluptatis libido ob obſcœnitatem maximè caſtiganda eſt: atq; etiam quia in nobis maximè inhæret, & quò plus fouetur, eò amplius exardet. Caſtitatem aſſectatur pudicitia; cui pudor nomen dedit. ſiquidem caſtitas venerem frenat; pudicitia vero (nam quæ ante aliorum oculos ſunt verecundamur) veneris ſigna aſpectus, oſcula, amplexus, tactiones fugit. Igitur pudicitia res obſeruans, quæ caſtitatem circunſtant, minimè ab ipſa caſtitate ſeiungitur.

De Continentia & Incontinentia, Conſtantia & Mollitie.

Cap. X.

CVm temperantia eſt continentiæ magna & propinqua cognatio: quæ interdum omnis voluptatis, interdum vehementiorum dumtaxat, & venerearum cupiditatum moderationem, habet: qua porrò moderatione temperantiam imitatur. Vtraq; enim in voluptatum corporis temperatione verſatur: ſed temperantia, quæ iam

vſu confirmata eſt, facilè, ac citò voluptatum commotiones reprimit; continentia ægrè, nec ſinè cunctatione, quia nullum dum habitum perfectum habet. Igitur in homine temperante ſedatæ voluptates, & rationi obediens ac planè ſubiectus appetitus eſt: at continens pugnare cogitur contra vehementes, ſed quæ ſuperari poſſunt, voluptates. Quare laudabilis quidem eſt, quia prauæ cupiditati reſiſtit, atq; inter ſtuporem & incontinentiam modum tenet; non tamen virtutis nomen obtinet, quia nullo dum habitu conſtat, ſed imperfecta quædam temperantia, & virtus dicitur. quanquàm omnis animi laudabilis affectio tanquam virtutis alicuius initium & ſemen aliquando etiam pro virtute habetur. Similiter incontinens, & intemperans conueniunt materia, quia vterq; voluptates amat; tamen ratione differunt: quippe intemperans ſinè vlla pugna, ac volens à quauis voluptate capitur; incontinens non niſi victus ardentiori cupiditati cedit. ideoq; excuſatione aliqua dignior, & ſemiprauus cenſetur, quia nondum habitum vitij contraxit; reprehendendus tamen, quoniam à recta ratione, & mediocritate recedit. Incontinentia igitur, quia non ex electione, iudicioq; exiſtit, completum vitium non eſt; completum verò uitium eſt intemperantia, quia voluntaria eſt, vſuq; firmata. Hinc eſt quòd incontinentem cupiditatis ſuæ pœnitet, quia fragilitatem, & ægritudinem animi ſui cognoſcit; intemperantem uerò nequaquàm, quia nullam morbi ſui affectionem ſentit. atq; illius morbus vim ſuam, velut tertiana, & quartana febris, aliquando remittit; huius febris, velut intercus, nullam unquàm deceſſionem facit. quocircà deterior, & inſanabilior eſt. Et quidem incontinens præcepta rationis accipit, ac quid ſequendum, quid contrà fugiendum ſit videt. nam integram mentem, & iudicium habet, ſed uoluptatis impetu grauiore in diuerſam partem rapitur. Quamobrem in incontinente appetitus ra-

tionem;

tionem; contrà in continente ratio appetitum uincit: uerùm in intemperante nullum rationis lumen, nulla repugnantia apparet, cuius mala mens eſt, corruptumq́; iudicium, ac prauum rerum agendarum principium. quod principium idem ac finis eſt: in quem videlicet cogitationes, actionesq́; conferimus. Dicit intemperans, qui ſequendam uoluptatem putat,

Ede, bibe, lude; poſt mortem nulla voluptas.

at incontinens, qui voluptatem fugiendam cenſet, dicit,

——————— *video meliora, proboq;*;

Deteriora ſequor.

Atq; vt corporis diſtorta membra dum ad dexteram torquentur, in ſiniſtram inflectuntur, ſic appetitiones incontinentis non in eam partem feruntur, in quam eas ratio dirigit, ſed in contrariam. Et pulchrè incontinentem Plutarchus Sophiſtæ aſſimilat, qui rationem ſuam tueri nequit. Dubitarit nunc fortè aliquis quomodo incontinens ſciens peccet, cùm ſcientia conſtans & firma animi qualitas ſit! Nonnulli aiunt non ſcientiam illam eſſe incontinentis, ſed opinionem, quia inſtabilis & uolubilis eſt. Iſtis Ariſtoteles obijcit opinionem excuſationem aliquam habere probabilem; incontinentiam uerò caſtigatione, & obiurgatione dignam eſſe. Tum opinionem aliquando ita infixam animo inhærere, vt quauis ſcientia firmior videatur; incontinentiam uerò huc, illucq́; moueri. Vnde idem Ariſtoteles ſcientem primùm habitu, actuq́; diſtinguit: tum incontinentem habitu, non actu ait eſſe ſcientem. Deinde quia omnis in actione aliqua ſuſcipienda ratiocinatio ex propoſitione altera vniuerſali, altera ſingulari conficitur; quod autem in extrema ratiocinationis parte conſequitur, id in actionem uenit: exempli cauſa, Nulla voluptas eſt ſequenda; Hæc eſt uoluptas; Ergo ſequenda non eſt: incontinentis errorem non in uniuerſali propoſitione, ſed in ſingulari

eſſe inquit. Scit enim uoluptatem fugiendam eſſe; ſed hanc voluptatem eſſe fugiendam cupiditatis perturbatione obcæcatus non uidet: & antequàm in animi perturbationem incidat, eſt rerum agendarum ſciens atq; intelligens; cùm verò perturbationi ſuccumbit, fit ignarus & inſciens. Quæ ſanè ignorantia iure eſt reprehendenda, quia ſuo illam vitio concepit: quoniam in ipſo erat motionem animi cohibere, ac voluptatem reſtinguere. Idcirco ignorantia, quam voluptatis cupiditas gignit, magis vituperatur, quàm ea, quæ motum animi antecedit; quia magis eſt voluntaria. Belluæ quia huiuſmodi ratiocinationibus nõ vtuntur, quia intelligentia carent, neq; incontinentes, neq; ignaræ dicuntur. Quòd ſi quandoq; incontinentes præclaras quaſdam, & doctas ſententias proferunt, faciunt profectò quod pueri, aut ebrij, dum Virgilij, uel Horatij carmina pronunciant, quorum neq; uerba, neq; ſenſum intelligunt: uerùm placata perturbatione, velut ebrij concocto vino reſipiſcunt. Quamobrem incontinentis ignorantia, quia minùs in animo inſidet, ac rei ſingularis eſt, faciliùs emendari poteſt, quàm intemperantis ignorantia, quæ firmior eſt; eſtq; uniuerſalis rei, actionumq; principij ignorantia. Prætereà duplex incontinentiæ genus faciunt. Nam alteram temerariam uocant, quæ deliberationem omnem, & conſilium præuolat; alteram infirmam, quæ poſt conſultationem eſt. ob idq; eſt illa leuior, quia minùs uoluntaria; hæc grauior, quia magis inſita uidetur. Atq; ob iræ uelocitatem cholerici, ob vehementes cogitationes melancholici eſſe ſolent incontinentes temerarij. Ob molle quoq; corporis temperamentum minùs in propoſito pituitoſi, fœminæq; perſiſtũt. Et quoniam uirtutis eſt non ſolùm uoluptates coërcere, ſed etiam dolores perferre, quos voluptatum priuatio generat, qui huiuſmodi doloribus uincitur, quibus pleriq; reſiſtunt, mollis dicitur; qui uerò reſiſtit, conſtans appellatur. Et in

his plu-

his plures ſunt gradus. Nam conſtantior eſt, qui grauiores dolores perfert; contrà, mollior, qui leuioribus frangitur. Ac continentia præſtat conſtantiæ; quia præclarius eſt præſentibus non vinci uoluptatibus, quàm abſentibus: mollities verò incontinentia peior; quia turpius eſt infirmari abſentibus, quàm præſentibus, & grauioribus voluptatibus. Nec ſolùm mollis eſt, qui voluptatum priuationem ferre nequit, ſed etiam, qui omnem laborem, & moleſtiam fugit, totumq́; ſe iucunditati dat, vndiq; delitijs diffluens. Sed & continens atq; incontinens abſolutè venerearum voluptatum dicuntur; aliarum verò rerum cum adiunctione, vt iræ, diuitiarum, honoris, atq; his ſimilium. Equidem facultates, & honores cùm vitam per ſe ipſa non alant, ad continentiam nulla ex parte pertinent. ira etiam, quia aperta, non doloſa, vt venus, minusq́; voluntaria eſt, quia eſt cum dolore permixta, magisq́; cogitationem quandam animi, quàm naturalem ardorem ſequitur, ac magis à parentibus innata videtur, minùs quàm voluptas reprehenditur; licet plura interdum ob iram, quàm ob voluptatem mala eueniant. Quia igitur vi ſua voluptas vituperabilis eſt, eius abſolutè incontinentia dicitur; non item iræ. In timore autem non continentia, ſed firmitas laudatur.

De Virtutum moralium connexione, atq; præſtantia. CAP. XI.

DOcuimus primarias virtutes, hoc eſt, animi tam intelligentis, quàm appetentis conſtantes, & honeſtas affectiones. Et appetitus quidem virtutes non ſolùm morales, quia commotiones appetitus mores dicuntur, verùm etiam humanæ appellantur, quoniam voluntariæ ſunt: atq; ex hoc maximè commendantur, quòd non

non ſolùm veram ſcientiam, ſed vſum quoq; bonum,& laudabilem habent. Sunt autem numero quatuor, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia. Nam prudentia etſi, quia in ſuperiore animi parte, tanquàm in ſuo domicilio habitat, virtus eſt mentis,tamen quia regendis animi motibus,& actionibus dat operam, ſinè qua appetitus peruersè ſuo impetu ſemper huc,illucq́; ferretur, etiam inter morales recenſetur. Ac quando virtus eſt perfecta & abſoluta ratio, ipſam rationem quibuſdam præceptis prudentia confirmat;fortitudo,& temperantia tuentur à grauioribus perturbationibus, quæ animum à virtutis ſtudio vehementiùs abducunt, malorum inquam metu, & voluptatum cupiditate;vſum verò rationis in ciuilibus actionibus iuſtitia conſeruat. Sic vnaquæq; harum virtus propriam quandam habet poteſtatem, prudentia præceptionem, iuſtitia æqualitatem, fortitudo conſtantiam, temperantia moderationem. quas proprietates officia ipſarum declarant. Sed vt iſtæ virtutes morales inter ſe differant & animæ potentijs,quarum ſunt habitus, & materia, circa quam verſantur, & proprijs quibuſdam facultatibus; tamen, & proprietatum, & materiæ communitate quodam quaſi nexu inter ſe quoq; iunguntur. Non enim prudentia rectum actionis modum præſcribere poteſt, ni propoſitum animi laudabile fuerit; nec laudari poteſt ſinè recta ratione propoſitum. Bonam,& honeſtam affectionem animi gignit moralis virtus; rectam rationem tenet prudētia. Et moralis virtus ſi ex electione eſt, nulla ſinè prudētia erit,quæ integram electionem facit,ea, quæ ſunt eligenda, inueniens; & in eligendo appetitum ratione & conſilio adiuuans. Electio enim eſt motio appetitus, humanarum actionum principium. Et quidem in omni humana actione duo ſpectari ſolent, finis,& quæ pertinent ad finem. Finis eſt id, quod animus appetit, & quò omnia refert; intentionem theologi appellant: ac qualiter

quiſq;

quiſq; affectus eſt, talis eſt illi finis. Aliud quidem liberali, aliud auaro, aliud temperanti, aliud intemperanti appetendum videtur. Verùm vt is, qui bonum guſtatum habet, benè ſapores diiudicat; ſic animus rectè compoſitus res honeſtas à turpibus benè ſecernit: ac bonum, quod appetit, verè bonum eſt, non fucatum & fallax; quale corrupto vitijs animo proponitur. Sed & finis, quia animum ad ſe allicit, mouens cauſa, & humanarum actionum principium dicitur; quoniam ea, quæ agimus, alicuius rei cauſa agimus. Principium verò actionum aliud eſt vniuerſale, ac toti vitæ commune, vt illud, Iniuriam nulli decet inferre; &, Ne cuiquàm feceris, quod tibi factum nolis: aliud eſt ſingulare huius, vel iſtius actionis proprium. Actionum communia principia, perinde vt ſcientiarum, teſtata omnibus, & illuſtria ſunt, neq; vllum errorem afferunt; propria principia non ſimiliter ab omnibus probantur. Quare comparandi quidã habitus ſunt, quibus de ſingularum actionum fine benè ſentiamus. Hunc finem moralis virtus proponit; prudentia verò ea conſiderat, quæ ad hunc finem referri oportet. Igitur ſi eorum, quæ ad finem ſpectant, animaduerſio cum finis contemplatione coniungitur, à virtute morali prudentia minimè ſegregabitur. Quamobrem non poteſt incontinens, cùm prauus ſit, prudens eſſe: poteſt tamen habilitatem quandam prudentis habere. quæ hoc differt à prudentia, quòd prudentia nunquam bonam mentem deſerit; ipſa deſerit aliquando. Atq; etiam alia virtutum moralium communis vinculi ratio eſt à cuiuſq; uirtutis cæteris communicata proprietate. Etenim prudentia non ſolùm intelligens, ſed etiam æquabilis, fortis, & temperata eſt; iuſtitia quoq; prudens, conſtans, & moderata; fortitudo item ſciens, æqua, & modeſta; temperantia etiam prudens, æquabilis, & fortis. Prudentiæ autem maximè propria eſt ratio, iuſtitiæ æqualitas, fortitudinis conſtantia, temperan-

tiæ mo-

tiæ moderatio. Quin etiam ob hoc, quod mutuum quendam ad ſe reſpectum habent, quatenus animi commotiones ab ijſdem principijs amore inquam, & odio generantur, & ijſdem finibus, voluptate ſcilicet, & dolore continentur, uirtutes morales inter ſe nexæ, & iugatæ ſunt. Quo nexu carent virtutes intelligentiæ; quia nullum inter ſe reſpectum tenent. Quamuis enim communibus quibuſdam principijs nitantur, tamen mox varijs præceptis & rationibus diſtinctæ quàmlongiſſimis interuallis inter ſe diſiunguntur. Qui igitur virtutem vnam moralem conſequutus fuerit, omnes ſe adeptum eſſe intelliget: alioquin nullam omnino perfectam habebit. Tanta illarum cognatio eſt, atq; conſenſus. Sed eſt tamen alia alia præſtantior: ſiquidem prudentia in ſuperiore animi parte tanquam in regali ſolio ſedens, ac cæteris præcepta deſcribens, omnium præſtantiſſima exiſtit. Secunda in ſede iuſtitia locatur; quæ non modò genere nobilior, cùm voluntatis habitus ſit, verùm etiam, quia communi vtilitati inſeruit, fructu vberior eſt, quàm fortitudo & temperantia, quæ appetitus virtutes ſunt, ac præcipuam ſui, non aliorum etiam habent rationem. Tertium locum occupat fortitudo; quæ ideo temperantiæ præfertur, quià præclarius eſt dolores vincere, quàm uoluptatum illecebras temperare. Poſtrema eſt temperantia, hoc maximè prædicanda, quia nos à belluarum victu ſecernit, & in diuinam & cæleſtem naturam erigit. Adhæc prudentia rationem ipſam perficit; iuſtitia rationis regula ciuiles actiones metitur; fortitudo, & temperantia rationem à dolore, & uoluptate defendunt. Atqui natura præcedit uſui; & uſum tenere præclarius eſt, quàm remouere ea, quæ uſum impediunt. Quare iuſtitia fortitudini, & temperantiæ; prudentia uerò iure omnibus antecellit. Nomen autem harum quæq; tum ab aliqua ſingulari proprietate, quæ in omni laudabili actione notatur, accepit; uelut à conſilio

pruden

prudentia, ab æquabilitate iuſtitia, à firmitate fortitudo, à moderatione temperantia; qua ratione inter ſe connexas & copulatas ipſas eſſe docuimus: tum ab eo, quod in ſubiecta ſibi materia ſuo pro iure, & ſingulari conditione tenere eſt cuiq; difficilius; vt fortitudo à conſtantia, quam in periculis mortis retinere grauius; & temperantia à modo, quem in uoluptatum guſtus, tactuſq; cupiditatibus ſeruare laborioſius ducitur. Sic varijs habitibus inter ſe diſſimiles, ac ſeiunctæ virtutes ſunt. Quæ quidem principales, & à noſtris theologis cardinales nominantur. quòd omnes affectiones, & actiones hominum in his, velut limen in cardine vertuntur. Et quamuis aliqua virtus vel dignior, vt religio, vel amplior, vt magnitudo, ipſis eſſe videatur, tamen & loco, & propria quadam poteſtate ipſæ omnibus anteponuntur.

De Virtutibus, quæ ad Iuſtitiam reducuntur, Religione, Pietate, Obſeruantia, Amicitia, Veritate.

Cap. XII.

AD has quatuor virtutes reliquæ morales omnes tanquam ad capita, & fontes honeſti reuocantur. Nulla enim virtus eſt, quæ non aut rationem, aut voluntatem, aut appetitum afficiat: neq; vlla inueniri poteſt, quæ non aut quicpiam præcipiat, aut debitum retribuat, aut firmitatem ſeruet, aut modum aliquem teneat. Reducuntur autem vel ob materiæ, quam tractant, communicationem, vel ob formæ, quam ferunt, ſimilitudinem. quæ formæ ſimilitudo maior, & potior eſt communitate materiæ. Non autem, vt ſpecies generi, ſubijciuntur, quoniam à perfecta illius virtutis, ad quam referuntur, ratione ab-

ſunt. Ac quando ſuprà, quæ cum prudentia nectérentur virtutes oſtendimus, deinceps, quæ ad iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam ſingillatim referantur, ordine demonſtrabimus. Referuntur autem ad iuſtitiam in primis religio, pietas, obſeruantia: quæ venerationem erga ſuperiores habent, qui noſtri ſunt, noſtrarumue actionum principes & authores. Omnis enim honor excellentiam quandam reſpicit. Quæ veneratio primùm Deo, vtpote omnium procreatori, atq; vniuerſi moderatori; tum parentibus, quorum ſatu orti, quorumq; ſtudio educati, & multorum bonorum hæredes facti ſumus; poſtremò debetur his, qui cum dignitate ſunt, nempe quorum conſilio, & imperio permultæ res noſtræ adminiſtrantur. Qui omnes appellantur ob curæ ſimilitudinem patres. Prima veneratio dicitur religio, altera pietas, tertia obſeruantia. Quæ quidem ad iuſtitiam ratione debiti cultus reducuntur; ſed quia par illorum meritis honor haberi non poteſt, de iuſtitiæ conditione ſtatuq; declinant. Nam, ne dicam omnia tuentem, & regentem Deùm, ne parentes memorem, quorum opera tot, tantisq; bonis fruimur, qua vnquàm meritis æqua veneratione dignabimur præcellentes homines dignitate, quorum labore, & induſtria tantopere adiuuamur? tamen pro noſtra facultate, & illorum acceptione æqualitatem quandam in his, quæ res, perſonasq; circunſtant, ſanctè, piè, ſtudiosè tenere debemus. Religio eſt virtus, per quam Deo, à cuius benignitate eſt, quicquid in nobis boni eſt, cultum debitum tribuimus; in quo & diuinam eius maieſtatem agnoſcimus, & ſub illius poteſtatem nos ipſos ſubijcimus. Videtur verò nonnullis religio, ſicut pietas, & obſeruantia, ad ius naturale pertinere: quoniam vis eius à natura omnibus innata videtur. Sed ſi qui numen diuinum vllum eſſe negarunt, ij vecordes, & amentes, omniq; intelligentia præcipites, & deuij fuerunt. Eſt autem religio inter ſuperſti-

perſtitionem, & impietatem media. Superſtitio uana quædam religio eſt, metuens à Deo, quæ timenda non ſunt, illiq́; tribuens, quæ à diuina virtute, & natura abhorrent. Impietas vel omnem diuinitatem tollit, quæ ἀθεότης græcè dicitur, vel diuinum cultum negligit. Cum religione deuincta ſanctitas eſt, quæ non tantùm ſacrorum, & ceremoniarum curam habet, ſed omnes etiam cogitationes, & actiones in Dei cultum refert. Hinc ſanctum dicitur, quod in Dei venerationem inſtitutum eſt. Idem quoq; nomen rem firmam, & purgatam ſignificat. Vnde Chriſtiani, quia Chriſti ſanguine abluti ſunt, & certa religione religati, ac vero Deo deuoti, in ſacris literis frequenter ſancti nominantur. Nec non etiam religio ob præſtantiam, ſiquidem eſt Deus (vt ille inquit) pater hominumq́;, Deumq́;, pietas vocatur. ex quo religioni impietas opponitur. ſed tamen cultus, quo genitores honoramus, à quibus in lucem editi, & enutriti ſumus, pietatis nomen vſu quodam proprium fecit. Interdum etiam pietas commiſeratione̅ notat; & pius miſericordem: quo ſæpe nomine Deum appellamus, non tantùm quia pater eſt, ſed etiam quia noſtrorum laborum, & dolorum miſeretur. Honoramus verò parentes non ſolùm dum illos colimus, ſed etiam dum illis vitæ res neceſſarias, ſi indigentes fuerint, ſubminiſtramus. At cultus, quo dignitatis gradu ſuperiores afficimus, quia nobis vigilant, & laborant, obſeruantia propriè nuncupatur: quam aſſectatur obedientia; quæ illorum mandata, & præceptiones aduertit; laudaturq́; ſi voluntaria, aperta, facilis, & expedita ſinè vllo errore fuerit. Atque vt in rerum vniuerſitate ſummis infima obſecundant, ſic decet inferiores homines dignitate ſuperioribus obedire. Præter religionem, pietatem, & obſeruantiam, etiam amicitiam, quæ inter æquales colitur, & veritatem, quæ ab omnibus exigitur, iuſtitiæ addicunt. Amicitia eſt mutua, & vtriq; cognita, atq; ob virtutem

tutem conciliata beneuolentia. Nam qui alium vel vtilitatis ſuæ, vel voluptatis cauſa diligit, non illius, ſed ſui amicus eſſe meritò dicitur: ſublataq; utilitate, aut voluptate amor, à quo dictam amicitiam volunt, extinguitur. Cernitur autem amicitia in beneuolentia, concordia, beneficentia. Sed qui inter impares eſt amor tunc gignit amicitiam, cùm certa proportione res ad æqualitatem reuocantur. quod pulchrè Ariſtoteles in Ethicis docet. Porrò amicitiæ fructus, qui ex communione conſiliorum, & uitæ percipitur, maximus eſt; ſinè qua nulla in vita nobis iucunditas accidere poteſt. Ob quam vitæ cõmunionem addicitur iuſtitiæ ſocietatem hominum, officiaq; tuenti: tamen à perfecta iuſtitiæ ratione deſciſcit, quòd nullo præſcripto iure, ſed naturali quodam, ciuiliq; officio amanti nos beneuolentiam præſtamus: nec perfectam formam virtutis habet, ſed potiùs laudabilis quædam affectio eſſe videtur ex cuiuslibet uirtutis amore contracta. Amicitiæ comitatem adſcribunt, morum inquam, ſermonisq; facilitatem, in communi vitæ conſuetudine neceſſariam. Eſt enim comis, qui pro cuiuſq; dignitate cum omnibus honeſtè, vtiliter, & iucundè uiuit, cauens ne quenquàm aut dolore ullo afficiat, uel in turpem voluptatem inducat. Qui uerò in conſuetudine vitæ durus, & aſper, nec moribus iucundus, nec ſermone affabilis eſt, difficilis, & moroſus nominatur: cui aſſentator, ſiue adulator opponitur, qui plùs placere alijs vult, quàm decet. Ac licet aſſentatorem nonnulli ab adulatore diſtinguant, quòd ille ſolam delectationem aliorum petat, hic ſuis commodis ſeruiat, tamen utrunque nomen ſæpe eidem datur. Differt tamen comitas ab amicicia hoc, quòd comitas non requirit mutuam beneuolentiam, quam requirit amicitia. Præterea cùm iuſtitia veritatem ſociant, quæ non ſolùm in dictis, ſed etiam in factis eſt: ſinè qua nulla fides, dictorum inquàm, factorumq; conſtantia; neq; vl-

la eſt ſinè fide iuſtitia; nec ſinè his vlla inter homines commercia eſſe poſſunt. Itaq; fides ad veritatem, & iuſtitiam pertinet: ac verum, ſicut etiam apud græcos ἀληθὲς, ſæpe iuſtũ,& veritas iuſtitiã ſignificat. Verus nec fingit ea ſe habere, quæ nõ habet, nec habere ſe negat ea, quæ habet, nihilq́; illa maiora efficit, quàm ſunt, immo potiùs minora, vt arrogantiæ vitium effugiat. Contrà, arrogans ea, quæ non habet, habere ſe fingit, & quæ habet maiora conatur efficere vel lucri, vel gloriæ, vel honoris ergo, vel etiam ipſo mendacio delectatus. At ſimulator, εἴρων græcè, de ſe ipſo detrahit, aliud dicens, aliud ſentiens: qualem Socratem fuiſſe accepimus. ſin res ſuas attenuat, quò magis ab alijs amplificentur, græcè βαυκοπανοῦργος nuncupatur, non nimiùm diſtans ab arrogante. vterq; tamen eſt mendax. quanquàm arrogans magis, quàm ſimulator veritati aduerſatur. Quamobrem veritas, quæ communem vitæ conſuetudinem tuetur, & concordes inter ſe reddit ſenſus, mores, orationem, meritò iuſtitiæ adiungitur.

De Liberalitate, Gratia, Vindicatione.

CAP. XIII.

PRæatereà cum iuſtitia liberalitatem, gratiam, vindicationemq́; coniungunt. Liberalitas, quam etiam benignitatem, & beneficentiam appellamus, habet vſum pecuniæ. Pecuniæ nomen deſignat quæcunq; prætio metimur, nummoq; mercamur. Tradit autem liberalitas modum, quò de pecunia alijs gratificemur. Itaq; animum ad benè de alijs merendum inſtituit. Liberalis officia duo ſunt, alterum in dando, alterum in accipiendo poſitum; ſed quoniam hoc alterum ad prius illud refertur; ſiquidem liberalis accipit, vt maiore, aut ſaltem pari remuneret munere; ideo liberalis potius eſt dare, quàm accipere. Etenim pe-

nim pecuniæ vſus in impendenda re, non in comparanda conſiſtit. Atqui liberalitas (vt diximus) in vſu pecuniæ cernitur. Tum maioris virtutis eſſe videtur honeſti aliquid agere, quàm nil turpe committere, & de aliquibus benè, quàm de nullo malè mereri. Inſuper grauius eſſe exiſtimatur ſua dare, quàm accipere aliena. atqui virtus circa id, quod difficilius eſt, verſatur. Et quis non magis eum laudet, qui alicui benè facit, quàm eum, cui benè fit? ne dicam quòd datio copiam indicat, acceptio egeſtatem.
Act. 20. Quamobrem benè in Actis Apoſtolorũ dicitur, Beatius eſt dare, quàm accipere. Vnde liberalis nec à quocunq;, nec rem quamlibet facilè accipit. Ac ſi quid accipit, eo quidem animo (vt diximus) accipit, vt maiorem, aut parem gratiam reddat. In dando hilaris, non triſtis eſt, qui gratificandi voluntatem habet, atq; ipſo virtutis opere delectatur. Cuncta etiam circumſpectat, vt cauta, & moderata liberalitas extet; ne benignitas exhauriatur, & dignitas cuiuſq; ſeruetur; & cùm alijs proſit, nemini tamen obſit. Nihil enim liberale putamus, quod iuſtè non fit. Omnem quoq; calliditatem odit, & ea, quæ boni nominis exiſtimationem violant. Non enim ſui, ſed alterius cauſa benignè facit. Ac quia prudens eſt, minimè facultates ſuas negligit, alioquin ſegetem virtutis, & gloriæ ſuæ negligeret. Ideoq; nonnulli Themiſtoclem accuratiùs parantem diuitias excuſabant, quòd illi plurima liberalitatis officia præſtanda forent, quæ ſinè diuitijs nunquàm exequi potuiſſet. Nihilominus liberalis, quia ſemper benignè facit, omnino diues eſſe non poteſt. Sed cum temperantia liberalitatem aliqui ob id connectunt, quia moderatione quadam cupiditatis cõtinetur: verùm iſta cupiditas quia non eſt earum voluptatum, quæ ſenſu corporis percipiuntur, non nimiùm facit cum ea, quæ propriè temperantia dicitur; ni temperantiæ nomini velint cuiuſuis cupiditatis moderationem

ſubijce-

ſubijcere. Magis verò cum iuſtitia conuenit, quia res, quæ extra nos ſunt, tractat, & aliorum vtilitatibus proſpicit. A qua tamen diſſidet, tum quia iuſtitia legibus inſtitutam debiti rationem ſeruat, liberalitas verò ciuilem quandam decentiam ſequitur; tum quia iuſtitia rerum æqualitatem perquirit, liberalitas verò in vſu pecuniæ animi bonitatem attendit. Ex quo liberalitas eſt quidem iuſtitia, fortitudine, multisq́; alijs virtutibus genere inferior, ſed tamen amabilior, quia pluribus prodeſt, ac clariores homines reddit, aliorum beneuolentiam concilians, & ex alienis ſuos, ex infidis fidos, ex inimicis amicos efficiens. Contra liberalem eſt ex altera parte prodigus, ex altera illiberalis. Prodigus, qui & largus dicitur, effusè donat, vix quicquàm accipit; neq; vllum in dando modum tenens patrimonio ſe ipſum ſpoliat: ex quo pauper euadit. Ideoq́, ἄσωτος græcè dicitur, quaſi ſe ipſum perdens. Quod prodigalitatis vitium ſi ſolum eſt, minùs vituperabile apparet; ſi ſociatum cum alijs, magis reprehenditur, quia multa ſcelera fouet. Illiberalis, ſiue reſtricti plures ſunt ſpecies. nam aliqui licet nihil dent, nihil tamen accipiunt: nil tamen ſe dare ob id ipſi inquiunt, ne vllius rei aliquando indigeant. Hi propriè dicentur tenaces & parci. Alij ſordidi nuncupabuntur, qui à quouis, & quod vis nil ipſi dantes accipiunt: quales ſunt fœneratores, atq; lenones. Aliena verò rapere non illiberalis, ſed iniuſti, & raptoris eſt. Sunt qui illiberalem vocent auarum; idq́; rectè. Nan auaritia, quando nimiam cupiditatem pecuniæ ſignificat, liberalitati repugnat; cùm verò iniquam alienæ rei poſſeſſionem notat, iniuſtitiæ pars eſt, non illiberalitatis. Deterior autem fit prodigo illiberalis, quia maiorem habet cum liberali diſſimilitudinem. Nulli enim benè facit. Tum illiberalitas magis inſita videtur, quia pauci liberales inueniuntur: & cum ætate magis accreſcit; quæ imbecillitatem animi ſequitur, quarè ægrius

ſanatur

ſanatur. At prodigalitas in benignè faciendo liberalitatem aliquo modo imitatur:& faciliùs vel egeſtate, vel ætate curatur. Liberalitatem gratia, & vindicatio proſequuntur: illa finitur acceptorum bonorum, iſta malorum compenſatio. Quæ iuſtitiæ quidē partes ſunt, cùm ciuili iure exiguntur; cùm verò decus quoddam vitæ petunt & ornamentum, virtutes affines iuſtitiæ ſunt. Gratia ἀντιπελαργία græcè dicitur à Ciconia; quam, quoniam parētes ætate confectos alere creditur, à remunerando beneficio ἀντιπέλαργον vocitarunt. Eſt autem grati hominis beneficia remunerare, nec tam accepti doni magnitudinem, quàm donantis voluntatem aduertere; &, ſi res ſuppetat, ampliorum gratiam referre; ſin res deſit, ſaltem animo habere maiorem, trabaliq; (quod aiunt) clauo beneficia figere, hoc eſt, memoria ſempiterna tenere. Et ius quidem in retributione rem parem; amicitia verò mutuam voluntatem poſtulat. Qui mutuam gratiam non refert, ingratus, & iniuſtus eſt. quod ingrati animi vitium omnem beneficentiam extinguit conſeruatricem ſocietatis humanæ. Quamobrem veteres illi gratiarum templum in vrbis medio collocabant, vt beneficiorum, atq; officiorum viciſſitudo conſeruaretur; qua hominum congregatio & cōmunitas continetur. Nec immeritò tres gratiæ propter dandi, accipiendi, compenſandi viciſſitudines inter ſe iunctæ: ac quia gratus animus & collato beneficio gaudet, & accepti ſemper eſt memor, hilares, pubeſcenteſq; finguntur. Vindicatio definitur, per quam vim aliquam, vel iniuriam, vel damnum aut vlciſcendo, aut defendendo à nobis propulſamus. Eſt autem ea vindicatio iuſtitiæ pars, quam lex iubet, ac iudex repetit; ad quem attinet iniuriam ac damnum certo iure æquare: cùm verò nulla lege iubetur, nec à iudice repetitur, cognata iuſtitiæ virtus eſſe videtur; ac tum laudabilis, cùm vel ſalutis cauſa, quod ius naturæ concedit, vel chriſtianæ charitatis permotione quadam

iniurias perſequimur, vt ſceleratorum hominum improbitas coërceatur, & aliorũ quieti cõſulatur: alioquin ſi aliquo odio ſuſcipitur, in chriſtiano homine valde reprehenditur.

De Virtutibus, quæ ad Fortitudinem referuntur, Magnificentia, Magnanimitate, Ambitione, Patientia, Perſeuerantia.

CAP. XIIII.

AT virtutes, quæ ob magnitudinem rerum, & difficultatem ad fortitudinem reducuntur, ſunt magnificentia, magnanimitas, &, quæ proprio nomine caret, ſed dicatur ambitio, vel græco verbo philotimia virtuti, vitioq; communi, tum patientia, & perſeuerantia. Et magnificentiæ quidem eadem, quæ liberalitati, materies ſubijcitur, ſed modo & fine diſſimili. Nam vtraq; ſpectat vſum pecuniæ; ſed magnitudine primò diſcrepant. illa enim paruo vſu pecuniæ contenta eſt, hæc, quod nomen ipſum ſignificat, magnis ſumptibus prodit: tum illa doni commendationem petit, hæc operis magnitudinem parem dignitati perſonæ requirit. id quod nomen ipſum græcum μεγαλοπρέπεια declarat. Quocircà non ad eam principem virtutem, ad quam liberalitas, reducitur: quandoquidem liberalitas præcipuè cupiditatem pecuniæ ſpectat; magnificentia verò ſpem operis præclari accipit, qua cũ fortitudine cõuenit, etſi labore, & materia differt: quandoquidẽ fortitudini periculum vitæ, magnificentiæ facultatum iactura proponitur. Finitur autem magnificentia rerum magnarum cum animi quadam amplitudine ſapiens adminiſtratio, regum propria, & virorum in rep. principum; qui & dignitate præſtant, & diuitijs affluunt. Etenim pauper eſſe magnificus non poteſt; quippe qui magnorum operum neruos

 pecu-

pecuniam non habet:ni aut animo,aut pro ſuis facultatibus magnificum illum eſſe dixeris. At verò opera, quæ fiunt, vel publica ſunt, hoc eſt,toti ciuitati communia; vel priuata. Et publica alia religioſa ſunt, vt templa, & ſacra;alia profana, vt theatra, & ſpectacula: priuata verò, vt ædes, nuptiæ, hoſpitalitas, & his ſimilia; quæ ſemel, aut rarò in vita contingunt, ac firmiora, & ſtabiliora perſiſtunt. Atq; illa publica non niſi à magnis, & potentibus viris; hæc priuata à minoribus interdum gentibus fiunt. Sed in omnibus tamen & facultatum ſuarum, & dignitatis rationem habere oportet. Cæterùm magnificus, quia prudens eſt,cuncta circunſpicit,& decoro,& honeſtati ſeruit,nec extra modum in opera ſumptum impendit;ſed qui tamē plùs ſemper operis elegantiæ ſtudet, quàm impenſarū imminutioni; pariq; ſumptu, vtpote multarum rerum gnarus, præclarius opus, quàm rudis aliquis efficit. At qui plus pecuniæ in aliquo opere faciendo impendit ,& minùs elegans illud facit, neq; rei, neq; perſonæ decorum tenēs,nec honeſtatis ſtudio, ſed inanis cuiuſdam gloriæ cupiditate permotus, in eo, quod nimium eſt, contra magnificum ponitur; caretq; apud nos proprio nomine. Ex altera parte magnifico opponitur is, qui ſumptuū imminutioni plùs, quàm operis pulchritudini inſeruit; mœretq; ſemper, quòd maiores impenſas faciat, quàm res exigat,ignorans, aut negligēs decori. Iſtum nonnulli appellare ſolent paruificum, non quòd parua ſimpliciter faciat, ſed quòd magna opera aggreſſus minora efficiat,quàm res,& dignitas efflagitet. Quamobrem cùm illiberali hoc cōgruit, quòd pecuniam impēſiùs amat;ſed opere differt. Nec ſi magnificentia res magnas molitur,idcirco nimio offendit;quia videt quod eſt in omni re quatenus. Id quod etiam videt magnanimitas;quæ affectionem quādam animi ſignificat magna & excelſa petentis, ac certa ratione conſtantis. Atqui externorum bonorum maximum eſt honor:

nor;qui non niſi excellenti alicui præſtantiæ debetur. vnde primum Deo tribuitur: tum etiam rectoribus ciuitatum, & in rep. principibus, optimisq; viris defertur. quo præmio mortales nullum maius dare virtuti poſſunt. Hinc quia excellere quiſq; cupit, honorem maximè appetit, quem cunctis humanis rebus antepónit. Honores igitur, & magnos quidem honores perſequens virtus, meritò magnanimitas vocatur: quæ vna per ſe virtus eſt; quia honor vnū quoddam bonum eſt. Nec magnanimus honorem virtuti præfert, ſed virtutem ducem ſequitur; facitq; res dignas honoribus. At quoniam difficile arbitramur alijs præſtare, arduum quoq; putamus magnos, & veros honores aſſequi. Verùm ad rem adeptu difficilem ſpe incitamur, & fiducia ducimur enata è graui cogitatione rei, qua nos potituros confidimus. Quarè magnanimitas quam ſpem accipere, & quibus in rebus, ac quo modo illam collocare oporteat, prudēter docet. Sed neque inſolenter magnis honoribus magnanimus extollitur, qui virtute nititur; nec paruos honores magni facit, qui alto & excelſo animo eſt; ſed vbiq; moderatum, & æquabilem, & ab omni fortuna inuictum ſe præbet. Quid enim reliqua fortunæ bona magni ducat, cùm infra virtutem honorem habeat, pro quo illa contemnit? Nec certè pluris illa extimat, quàm ad virtutem, & honorē conferre cognoſcit: cùm præſertim videat à multitudine eos coli, qui iſtis bonis abundant: nihilq; pro iſtorum bonorum adeptione, uel amiſſione iniuſtū, nihil ſe indignū vnquàm facit. Nec ſolùm facultates deſpicere, ſed etiam honores negligere creditur; quos minimè venatur, ſed vt ab alijs ſibi vltrò deferantur, expectat. Ex quo ſuperbus eſſe videtur: non eſt tamen, cùm nihil iniquè, nihil immoderatè agat. Quòd ſi honor eſt cuiuſq; virtutis præmium, certè magnanimitas omniū virtutum eſt ornamentum, vt quæ cunctas virtutes, alioqui per ſe decoras, maioribus auget honoribus; quæq; ſinè alijs vir-

tutibus ne intelligi quidẽ poteſt; & quid in quoq; ſummum ſit quærens, paruis honoribus contenta non eſt. Semper autem vtili honeſtum magnanimus anteponit; nec in diſcrimen vitæ ſe ſe niſi ob maximum bonum infert; iniuriarum immemor, clemens, atq; benignus. Beneficijs vinci nullo modo perfert; non querulus, non precarius, qui nullo inferior, nullius rei vult indigens videri. Cum maioribus magnificè ſe habet, cum minoribus modeſtè. Nil facilè admiratur, nil præter virtutem magni ducit, non ex aliorum opinionibus pendet, nec leui de cauſa mouetur. Eſt verax; quanquàm aliquando pro locis, perſonis, atq; temporibus egregiè nonnulla diſſimulat; ac quia ingenuus eſt, palàm odit, & amat: magisq́; vir bonus eſſe, quàm videri deſiderat. Poſtremò vox eius grauis, inceſſus tardus, actio decens. Quapropter difficilimũ eſſe exiſtimo virum magnanimum inueniri, cùm omnium virtutum ornamentis abundare difficilimum ſit. Contra magnanimum ex vna parte is eſt, qui maiores ſuis virtutibus honores affectat; ex altera, qui ſe à ſibi meritis honoribus vel ſuæ conditionis ignarus, vel metu aliquo retrahit. Ille maiora, quàm vires ferant, ſumit, iſte minora; ille vltra modum, iſte citra conſiſtit; ille ſe dignum putat honoribus, quibus dignus non eſt, iſte dignis priuatur; illius immoderata honorum cupiditas inſcitiam, iſtius ſegnities ignorantiam parit: illum (quando propria nomina deſideramus) græcè χαῦνον, latine (ſi ita lubet) ventoſum; iſtum parui animi dicemus. Atque iſtius vitiũ magnanimitati magis repugnat, quia crebriùs occurrit, laborioſiusq́; curatur; illius verò errorem vſus rerum, & experientia facilè corrigit. Neuter eſt tamen nocens, quia neuter eſt malus. Sunt qui magnanimitatem propter honorum cupiditatem temperantiæ addicunt; ſed non omnis cupiditatis moderatio ad temperantiam pertinet; noſq́; illam propter rerum, quam ſubit, difficultatem fortitudini addiximus.

mus. A magnanimitate, vt à magnificentia liberalitas, ſic diſtat virtus, quæ nullum dum vſquam nomen inuenit, verſans circa mediocres honores, veluti circa mediocres pecunias liberalitas. Non enim, ſicut qui vehementes voluptates coërcet, leues quoq; refrenat, ſic qui modeſtè in amplis opibus, & honoribus ſe habet, habebit etiam in paruis. Ob id vna eſt in moderandis voluptatibus virtus, non item in facultatibus, & honoribus. Et quamuis magna & parua non efficiant diuerſas eiuſdem generis formas, tamen eſt in vtriſq; modus diuerſus. Igitur virtus, quæ in mediocribus honoribus laudatur, cùm careat nomine, poſſet vel græcè philotimia, vel latinè ambitio nominari. Nam ambitio quanquàm in vitio ponitur, nimium honoris ſtudium, cupiditatemq; ſignificans, tamen interdum laudi datur. Cui aduerſatur ἀφιλοτιμία, quæ ab omni honoris ſtudio ſinè ratione abhorret. Ideo verò, quæ inter iſta vitia ponitur, virtus nullum nomen obtinuit, quia vitia medium occupaſſe videntur. Sed omnium maximè propinqua fortitudini eſt patientia, voluntaria inquam rerum difficilium, malarumq; perpeſſio. Differt tamen à fortitudine, quòd fortitudo præcipuè mortis pericula, patientia quæuis mala ſuſcipit: fortitudo etiam venientia illa, ſi ratio imperet, adit, patiētia tantùm præſentia tolerat: fortitudo cōſtanter, patientia æquabiliter ſe gerit. Sed & fortitudo magis timores, patientia triſtitias cohibet. Quinimmo patientiā maxima mala perferentē fortitudini tanquā partē ſubiecimus. Facit autē patiētia, vt ferendo, leuiora mala videātur, ſicut poëta ille inquit,

Durum, ſed leuius fit patientia, Horat.
Quicquid corrigere eſt nefas. Carm. lib

Nec ſinè ratione fortitudini, cuius in malorum perpeſſione 2. O. 24
conſtantiam laudamus, etiam perſeuerantiam annectimus: in qua & laboris diuturnitatem, & animi firmitatem inſpicimus. Cumq; re differant, quòd fortitudo mala, perſeuerātia lon-

tia longum boni operis laborem ſuſtineat; tamen modo quodam conueniunt. Et qui labore frangitur, mollis; qui in inconſiderata ratione perſiſtit, pertinax vocatur.

De Virtutibus, quæ Temperantiam comitantur, Manſuetudine, Clementia, atq; Modeſtia.

CAP. XV.

Temperantia verò eas ſibi virtutes, tanquam ſocias, adiungit, quæ alicuius temperationis commendationem habent, manſuetudinem inquam, clementiam, atq; modeſtiam. Addunt nonnulli continentiam: ſed nos eius rationem, quia imperfecta quædam temperãtia eſt, vnà cum temperantiæ natura ſuprà explicuimus. Manſuetudo eſt iræ moderatio: iram voco non alterã appetitus ſenſitiui partem, quam iraſcibilem appellant, ſed ſingularem quandam animi commotionem, feruorem inquam ſanguinis in pectore ob vltionis libidinem. Neq; hunc extirpat, ſed moderatur affectum. Nam & in ſacris libris legitur, Iraſcimini, & nolite peccare. Cumq; nomen ex iræ mediocri-
Pſ. 4.
tate nullum reperiſſet, quòd difficilis illa foret inuentu ob multas, quæ circunſtant, aſperitates, à remiſſione, quæ magis, quàm incitatio, laudatur, accepit. Qui minùs iram temperat, iracundus. Iracundiam non tam irati animi commotionẽ, quàm habitum ſignificat animi procliuis ad iram. Qui nullo iræ motu afficitur, græcè nũcupatur ἀόργητος, hoc eſt, vacans ira. Magis autem pugnat cum manſuetudine iracundia, quàm iræ vacuitas; quoniam iracundia ſæpe leui de cauſa excitatur, redditque hominem minùs compotem ſui, ac frequenter multorum, & ingentium malorum cauſa exiſtit. Itaq; manſuetudo non re, ſed modo cum temperantia conuenit; & vtriq; conuenientia eſt cum clemẽtia; quæ pœnam prudenter moderatur; quæq; à Seneca finitur

animi

animi temperantia in poteſtate vlciſcendi; vel lenitas ſuperioris aduerſus inferiorem in pœnis conſtituendis. Seueritas verò debitam pœnam non remittit: idq; cum ratione facit: nec minùs ſæpe laudabilis, quàm clementia. Clementiæ aduerſatur crudelitas; quæ puniendi quidem cauſam aliquam habet, ſed modum in puniendo nullum tenet. At feritas & immanitas maximè inimica eſt rationi, atq; clementiæ, nec cauſam, nec modum vllum vlciſcendi, & puniendi ſeruans; tantùm gaudens pœnis atq; ſupplicijs. Ei vero, qui ne meritam quidem pœnã ſumit, nullum nomen hactenus impoſuerunt. Quo autem pacto ab æquitate & bonitate clementia diſtinguatur, ſuprà diximus. Temperantiæ quoq; ita eſt cognata modeſtia, vt ſæpe neq; re, neq; nomine ſeparentur. Separantur tamen delectationum generibus. Nam delectationum, quæ tactu percipiuntur, moderationem aſſignant temperantiæ; aliarum voluptatum verò temperationem vnà cum corporis decente actione, motu, & ornatu adſcribunt modeſtiæ. Quæ quatenus ſocietatem hominum attingunt, ad iuſtitiam pertinent: prout verò quadam ratione componuntur, ad modeſtiam & temperantiam ſpectant. Adhæc veritas, affabilitas, & amicitia iuſtitiam ſequuntur; modeſtiam verò ſequitur ludendi, iocandi, veſtiendi, & ornandi ſe modus. Ludus eſt corporis ad animi relaxationẽ faciens exercitatio: iocus eſt facetum, ac riſum excitans dictum. quibus ſanè vti debemus, perinde ac ſomno & quiete, remiſſionis animi gratia, vt deinde promptiores ad labores redeamus. Videndumq; ſemper eſt, ne animi relaxatio maior ſit, quàm labor poſtulet; vtq; ab omni ludo, & ioco omnis turpitudo, & obſcœnitas abſit; ac cuncta factis, & dictis pro locorum, temporum, perſonarum dignitate, ac ratione conueniant. Qui à ludo abhorret, agreſtis: qui in ludo nimius eſt, quo proprio appelletur nomine, haud ſcio: eſt tamen agreſti peior, quoniam

Cav. G. DI GIACOMO
1971